

eibn.
arg-
46

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 146, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

[La 541] Leibn. Marg. 146


S. 53 verso

S. 54 recto

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 146, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 146, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

MITH

G

EXPRI

FERENTI

tum vete

per totu

CASP

recenſuit

T

Typ

339.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 146, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

MITHRIDATES

GESNERI,

EXPRIMENS DIFFERENTIAS LINGVARVM,

tum veterum, tum quæ hodie, per totum terrarum orbem, in usu sunt.

CASPAR VVASERVS
recensuit & Libello commentario illustravit.

Editio altera.



Martini Fogelii Hamburg.

TIGVRI,
Typis VVolphianis.
M.DC.X.

339.
330

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

MA
N
D. P
BRE
Illustrissi
Belgii c
filiar
CASE
viri!)
nium, N
sculum c
tissimum,
meo nomi
acceptum.
ta compar

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

MAGNIFICO ET
NOBILISSIMO V.

D. PETRO DE BREDENRODE,

Illustrissimorum D. Ordinum Belgii confederatorum Consiliario, & Legato per Germaniam, &c.

CASPAR VVASERVS. S.

OFFERO tibi, Vir Amplissime, clarissimi Gessneri nostri (o qualis & quanti viri!) Mithridatem secundo-genium, Notis meis auctum: munusculum cùm per se tibi sat scio, gratissimum, tum Gessneri etiam, & meo nomine, jucundum, ut spero, & acceptum. Nam quum ita sis natura comparatus, ut, prater legationis

)(2

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

tuæ munus, augustissimum sanè & amplissimum, quo dubiis his, et tantùm non desperatis temporibus, sapientissimè prudentissimeq; fungeris, in rem & laudem Illustrissimæ Reipublicæ, omni præterea artium et litterarum honestissimarum genere (ut de juris civilis accurratâ tuâ cognitione nihil dicam:) velut alter Vlpianus majorem in modum delecteris, instructusq; sis: tum linguas etiam nobiliores, Græcas, Latinas, Gallicas, Italicas, Hispanicas, aliasq;, ita tibi non in promtu tantùm, sed & in delitiis esse video, ut beatam fore Germaniam nostram universam existimem, si quamplurimos tui similes habitura sit. Me verò, etsi nihil tale promeritum, quantum a pluribus annis

Genevæ,

Genevæ, Basileæ, Tiguri, & alibi, eximiè dilexeris, ornaveris, et amplificaveris, infinitis documentis, luculenter sanè declarasti. Et ob hanc quidem insignem tuam in me humanitatem, ac summum studium, singularemq; liberalitatem, quantum me tibi debere sentiam, et quantopere præclaram pietatem, reliquasq; virtutes tuas, quæ non in obscuro loco abditæ, sed jam in oculis Germaniæ, in luce Europæ positæ sunt, suspiciam, ἐάν περ ἐπιτρέπει ὁ Θεός, faciam, ut omnes intelligant. Interea tenue opusculum, sed tamen ejusmodi, ut πολυμαθέστατος vir, Gessnerus, elegantissimum suum ingenium in eo exercuerit, Notis meis non tam amplificatum, quàm illustratum, & a mendis non

páucis purgatum ſummæ meæ erga te obſervantiæ teſtem perpetuum, ac pignus certiſſimum tibi exhibeo. Tu, pro comitate tua, quicquid eſt, quantillum eſt, benignè ut recipias mihiq; porrò faveas, etiam atque etiam te oro. Deus te Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ diu ſervet incolumem. Tiguri Helvet. K L. januarius anni nocvi M. D C. X.

quem felicißimum tibi precor.

CL. V.

D. IOHANNI BALEO,

Episcopo Ossoriensi in Hibernia, etc.

CONRADVS GESNERVS S.

MVltiplex sanè linguarum ac dialectorum, quibus animi sensa inter se eloquuntur & interpretantur homines, varietas extat. Videtur autem non tam curiosa, quàm liberalis hæc cognitio, ut quæ inter se cognitæ sint linguæ plus minùs, quæ omnino distent intelligamus. Nam quum solus homo rationis juxtà orationisq; compos sit animal, orationis atque linguarum differentias nosse, ad hominis eruditi ac philosophi studium attinere judico. Quamobrem quæ ego hoc in genere quoquomodo observavi, non tanquam aliquid perfectum, &, ut oportebat, elaboratum, sed quantum ego in præsentia præstare potui, velut symbolum, in lucem edo. unde excitati & fortè etiam adjuti post me alii, diligentiùs absolutiusq; rem omnem pertractent.

Hoc verò, quicquid est, optime & doctissime BALEE, cùm in nomen tuum inscribere, tum judicio submittere tuo volui. Hoc doctrina tua meretur, hoc liberalitas postulat; qua me non solùm amore jampridem, sed etiam beneficiis prosequi dignaris. Nam & bibliothecæ nostræ auctarium non mediocre per te accessit: &, quo polyglottum hunc Mithridatem nostrum ornarem, veteris Britannicæ linguæ specimen, quod orationem Dominicam interpretatur, nobis à te missum est. Visum est autem in hac præcipuè oratione variis reddendâ linguis, singularum differentiam, quantum ejus fieri potuit, demonstrare: ut & facilius esset conferre inter se linguas, quæ orationem exprimerent eandem: & in brevissimo

breviſsimo ſanctiſsimoq; argumento id fieret. Deo quidem Opt. Max. ingentes etiam hoc nomine gratiæ debentur, quòd, ut univerſam religionem ſincèram noſtris temporibus innoteſcere ac variis illuſtrari linguis ſacram ſcripturam, largitus eſt: ita orationes quóque ſacras, & Pſalmos, & quæcunque ad veræ pietatis profeſsionem cultumque pertinent, diverſæ nationes hodie, noſtrâ memoriâ, privatim publiceque in templis, invito Antichriſto, ſuâ quæque vernaculâ linguâ proferre incœperint: ſiquidem in noſtra utcunque anguſta civitate, Latinè, Græcè, Hebraicè, Germanicè, Italicè, Gallicè, Anglicè, & aliis quibuſdam linguis ſacræ litteræ in Dei gloriam leguntur, addiſcuntur, celebrantur.

Supereſt, honorande mi BALEE, ut pro eximio candore tuo ac eruditione te rogem, ſi quid in hoc libello noſtro quovis modo mutandum videbitur, id liberè ut mutes atque emendes. Neq; enim, quantum par erat in eo conſcribendo, tempus poſui: neque ſi poſuiſſem, multo ampliùs inſtituto ſatisfacere potuiſſem. Hoc verò maximè peto, ut ſi quæ alia Britannici regni lingua eſt (nam & Hiberniæ & Monæ inſulis ſuas eſſe audio:) de illis quóque ſpecimen aliquod, præſertim in oratione Dominica, maturè ad nos tranſmittas.

Vale. Tiguri K L. Aug. Anno ſalutis M. D. LV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

CONRADI GESNERI

DE DIFFERENTIIS LINGVARVM observationes.

CAPVT I.

De Linguis in genere.

LINGVARVM confusionis causa atque historia, in sacris libris tradita, non est quòd hîc à nobis repetatur. Quemadmodum autem magna infelicitatis humanæ pars fuit sermonis confusio: ita nostris temporibus donum verè divinũ & præclarę felicitatis loco judicare debemus, totum ferè orbem terrarum tribus illis in Cruce consecratis linguis, quas passim homines studiosi exercent, denuò conjungi: atque harum cognitione non ea modò, quæ ad hominum commercia, quæq; ad sapientiam humanam pertinent, sed pietatem & Deum, innotescere. Quis enim nescit per universam Europam Latinæ ac Græcæ linguarum usum esse: Hebraicæ verò, sive potiùs Arabicę, in Africa Asiaq; totis ferè, Græcæ etiam in parte earundem? Europa sanè tanto cæteris existimanda est felicior,

Linguarũ cognitio magnæ felicitatis humanæ pars.

Gen 11, 1, 2 &c.

Luc. 23. 38

quòd cùm alibi ſapientiæ ſtudioſi ſingulas tantùm linguas addiſcant, in ipſa tres illæ, quas dixi, excolantur. Quamobrem etiam crucifixi Domini noſtri Ieſu Chriſti Evangelium in Europa noſtris temporibus primũ, vnà cum linguis illis renaſcentibus renovari cœpit, & inde per eaſdem linguas tum libris, tum vivâ voce, in reliquas quóque nationes brevi (ut ſperamus) diſpergetur: ita vt Chriſto per univerſum Mundũ prædicato, quod magnâ celeritate, noſtrâ memoriâ, per omnem propè Europam jam factum videmus, extremum hujus Mundi diem & ſecundum Domini noſtri adventum inſtare ac immine re judicandum ſit.

Linguæ multæ etiam Trojani belli tempore.

Multarum quidem linguarum homines in unum etiam Trojanum bellum confluxiſſe prodidit Homerus Iliad. quarto.

Οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος, οὐδ' ἴα γῆρυς:
Ἀλλὰ γλῶσσ' ἐμέμικτο, πολύκλητοι (*ex multis locis convocati*) δ' ἔσαν ἄνδρες.

Linguæ 75 juxta Euphorum, juxta alios non niſi 72

Euphorus, & alii multi hiſtoricorum, gentes & linguas ſeptuaginta quinq; eſſe dicunt inde nimirum impulſi, quòd Moſes ſcripſit: *Animæ ex Iacob in univerſum erant ſeptuaginta quinque, quæ in Ægyptum deſcenderunt.* Et ſanè videntur reverâ dialecti (linguæ potiùs) communes duæ & ſeptuaginta: ut in noſtrorum

strorum etiam monumentis proditum repe ritur. Reliquæ verò multæ sub unum genus commune, quod duas aut tres pluréve dialectos contineat, referendæ sunt. Est autem dialectus dictio peculiarem alicujus loci notam seu characterem præ se ferens: vel dictio, quæ propriam communémve gentis characterem ostendit.

Græce quâ de linguâ, dialecti quinque.

Græci quidem dialectorum suæ linguæ differentias quinq; annotant, *Atticam, Ionicam, Doricam, Aeolicam*, & quintam *communem*. Porrò voces barbaras, quę scilicet à Grę cis usurpantur, cùm sint incomprehensibiles, non etiam dialectos, sed glossas vocari ajunt, inquit Clemens Alexandrinus libro 1. Stromatεων. Nos dialectum aliâs simpliciter sermonem sive orationem articulatam significare observavimus, vel ipsum in pluribus verbis colloquium: aliâs apud Grammaticos præsertim linguæ alicujus sive in singulis sive in pluribus verbis proprietatem; quæ à communi vel reliquis similibus aut cognatis differt. Galenus glossas Hippocratis, id est, prisca & obsoleta in ejus libris vocabula, proprio libro interpretatus est.

Dialectus sermo articulatus.

Colchorum vrbs Dioscurias, nunc deserta, quondâ adeò clara fuit, ut Timosthenes in eam CCC nationes, quæ dissimilibus linguis uterentur, descendere prodiderit. Et postea

Dioscurias celebris 300 nationibus & linguis.

à noſtris centum triginta interpretibus negotia ibi geſta, prodidit Plinius natur. hiſt. lib. 6. cap. 5.

Mithridates peritus linguarum 22.

Mithridatem, Ponti regem, ſolum mortalium viginti duabus linguis locutũ certum eſt: nec de ſubjectis gentibus ullum hominem per interpretem appellatũ ab eo annis quinquaginta ſex, quibus regnavit, idem teſtatur.

Incolæ inſulæ cujuſd. felicis & hominum voce loquuntur, et avium cantum imitantur.

Iambolus quidam mercator, cum conſervo captus ab Æthiopibus maritimis, navim ingredi juſſus eſt, & verſus meridiem navigando pergere, donec ad inſulam quandam Felicem perveniſſet. Hic enim Æthiopibus mos erat antiquiſſimus, ut duos alienigenas expiationis gratiâ illuc mitterent. Poſt quatuor igitur menſes ad inſulam appulerunt, & in ea homines invenerunt benignos, corpore agili & robuſto, oſſibus inſtar nervorũ flexilibus, &c. Lingua etiam inquit à nobis differunt. Diviſam enim hanc eis Natura dedit, quæ ſcinditur in inferiori parte, ut ab radice duplex eſſe videatur. Sic autem variâ utuntur loquelâ, ut nõ ſolũm voce hominum loquantur, ſed avium diverſarum imitentur cantus: &, quod admirabilius eſt, unà cum duobus hominibus perfectè ſimul reſpondendo & diſputando loquantur. Vna enim linguæ pars uni loquitur, reliqua alteri: Au-

ctor

ctor est Diodorus Siculus libro 3. de fabulosis Antiquorum gestis.

Troglodytæ Æthiopes serpentibus & lacertis vescuntur, & *voce strident* (τῇ φωνῇ τρίζουσι) tanquam vespertiliones: Herodotus. *Troglodytæ voce strident.*

In remotissimis quibusdam ad Septentrionem regionibus mercatores rerum commutationes nutibus & gestibus facere legimus, non quòd loquendi facultate omni careant tanquam muti, sed quòd linguis diversis utantur. *Nutus in usu pro loquela.*

Ex linguis Hebraica, ut prima & antiquissima omnium est, ita sola videtur pura & sincera: reliquæ mixtæ sunt pleræque omnes. Nulla enim est, quæ non ab Hebraica derivata quædam & corrupta vocabula habeat. Et insuper ipsæ inter se sunt mixtæ: vel *necessariò*, ut quando cum rebus peregrinis & inusitatis nomina quoq; peregrina sunt relicta, quemadmodum & aromatũ & aliarum rerum, quæ aliunde apportantur, in plerisq; linguis: vel *sponte*, ut ratione studiorum in diversis artibus & scientiis. Sic Latini innumera non solùm artium vocabula à Græcis, sed etiam rerum mutuati sunt, quæ in libris ipsorum repererant: vel *propter imperia*. Ferè enim victi paulatim victorum moribus & linguis se accommodant. Sic à Gothis Latina *Linguæ mixtæ & corruptæ omnes præter Hebraicã & cur.* *Latina lingua corrupta à Gothis.*

lingua in Italia, Gallia & Hispania corrupta est. Vel *ex eo quòd gentes diversæ in unam regionem migraverunt.* Anglica omnium maximè mixta hodie corruptaq; videtur. Primùm enim vetus Britannica lingua imperio Saxonum partim abolita, partim corrupta est: deinde Gallica etiam vocabula plurima assumpsit, sive propter multitudinem mercatorum ex Gallia vicina, vel aliorum hominũ ex eadẽ profectorum, ut inhabitarent.

Anglica a Saxonibus.

Latinæ olim usus in foro et templis.

Linguæ etiam, quarum in foro & in templis usus est aut fuit, non parum mutationis attulisse videntur. Olim enim in Romanorũ provinciis causæ omnes forenses agebantur Latinè: & eâdem linguâ conscribebantur instrumenta omnia. Diversi etiam populi cultus sacros in templis Latinè tantùm peragunt, ita ut à plebe non intelligantur. Et multis in locis orationes sacræ, præsertim Dominicâ (vt apud nos quóque patrum memoriâ) Latino tantùm sermone etiam à plebe proferuntur.

Barbaræ linguæ omnes præter Græcam et Latinam, Hebræam.

Barbaræ sive Barbaricę linguæ prętęr Grę cam & Latinam dicuntur omnes. Nos etiam Hebraicam excipimus, quòd ea cũ antiquissima ac instar parentis aliarum, tum sacra & divina sit lingua: qua scilicet vetus Testamentum, Lex & Prophetæ, & totum salutis humanæ negotium comprehenditur. Sed ut à

Iudæis,

Iudæis, tanquam indignis, Deus opt. max. gratiam suâ meritò abstulit, & externis gentibus communem fecit: ita etiam novum Testamentum non Hebraicâ linguâ, sed potiùs Græcâ, ceu apud cæteras gentes clarissimâ doctissimaq;, conscribi voluit. De barbaris linguis plura referemus infrà ex Strabone, in Caricæ linguæ mentione,

Barbarorũ vocũ usus in precib. sacris.

Porrò primæ & generales dialecti, etsi barbaræ sunt: nomina tamen ex ipsa rerum natura habent deprompta. Quamobrem etiam preces sacras efficaciores esse putant homines, si nominibus barbaris constent: & Plato in Cratyo, vocabulum *pyr* barbaricæ originis facit, quòd Phryges etiam modicè deflexâ voce (*ut & Germani* für) sic appellent, Clemens Alexandr.

Multæ voces peronomatopœiã compositæ.

In omnibus sanè linguis vocabula quædam naturâ sunt facta, ut quæcunq; ad soni imitationem & per onomatopœiam composita dicuntur, ut non modò vocabula ea, quæ aliquem sonum significant, *murmur, bombus, sibilus, crepitus, strepitus, stridor, ovare, mugire, rudere*, & reliquæ animalium voces in diversis linguis. Sed ipsa etiam avium nomina, ut vetus quidã Grammaticus scribit, ad vocis suę imitationẽ ferè sunt expressa. Alia arbitrio hominũ imposita, ut *syncategorematum* omniũ, & *verborum* magnâ ex parte.

Nominum verò illa quoq;, sive simplicia & derivata, sive composita, quæ etymologiam aliquam et significationem, ad ostendendum aliquam rebus insitam vim aut naturam continent, non immeritò aliquis naturalia dixerit.

Dialectus etiam quædam deorum.

Plato etiam Diis dialectum quandam attribuit, conjecturâ ex somniis & oraculis factâ: & insuper ex dæmoniacis; ut qui non suâ, sed dæmonum inhabitantium dialecto loquantur.

Item brutorum.

Quin & brutorum suam esse dialectũ censet, quam ejusdem generis animantes intelligant. Nam cùm elephas in cœnum illapsus

Elephantis

clamaret, alius, qui aderat, hoc viso abiit, & mox cum grege elephantum reversus periclitantem servavit. In Libya quóq; ajunt scor-

Scorpii.

pium, si hominem ut feriat contingere non possit, abire & cum pluribus reverti, atque ita catenatim cohærentibus & demissis illis, hominem, cui insidiatur, ferire. Vnde conjicimus, bruta non aliquo nutu obscuriùs, neque aliquo corporis motu gestúve, sed suâ potiùs dialecto, quę voluerint inter se signi-

Piscis.

ficando communicare. Fertur præterea de piscibus, si quis fortè lineâ attractus eâ ruptâ evaserit, nullum deinceps eo in loco per illum diem ejusdem generis piscem apparere, testis Clemens Alexandr. De brutorum

inter

inter se colloquio multa etiam Porphyrius tradit in libris de abstinendo ab animatis. Sed absurdum videtur quod scribit Clemens de brutis in genere, tanquam omnia dialecto quadam inter se utantur, scorpii, quoque & pisces: quibus cùm ipsa vox negata sit, multò magis etiam dialectum negatam fateamur oportet.

CAPVT II.

De Linguis diversis singillatim, per totum terrarum orbem, ordine literarum Alphabethi.

ABASINORVM lingua eadem, quæ Æthiopica; quam vide suo loco.

¶ ABGAZORVM vel ABGAZELLORVM lingua eadem, quæ Gazarorum.

¶ ÆGYPTII Apostolos suâ dialecto loquentes audiunt Hierosolymis, in die Pentecostes, & admirantur. Lingua Colchis eadem, quæ Ægyptiis est, ut Eustathius scribit Dionysium Afrum enarrans. Mensium anni XII Ægyptiaca nomina hæc reperio, quæ omnia oxytona sunt: *Tybi, Mechir, Phamenóth, Pharmuthi, Pachón, Pauni, Epiphi, Mesori, Thóth, Paophi, Athyr, Chœác.* Nicolaus Myrepsus Alexandrinus antidoto 371. eadem men

Ægyptiaca nomina mensium.

sium nomina explicans (dicit autem Alexandrina esse) cætera quidem similia habet: pro januario autem *tymbe*: pro Iunio *payni*: pro Septembri *thod*: pro Octobri *phaophi*: pro Decembri *chyac*. *Bajeth*, βαϊήθ, Aegyptiis tum accipitrem tum animam significat: Aelianus tamen accipitrem etiam *thaustum* ab eis dici scribit. Accipitris genus sparverio minus *baydach* nominant: Tardivus. *Báris* linguâ Ægyptiacâ dicitur cymba, quæ vectat cadavera Ægyptica ad sepulchra: nostri pheretrum bar appellant. *Hercules* vox Ægyptia est, non Græca: M. Porcius Cato. Canem *anubin* vocant, Felem *bubastum*. *Cucupha* in Hieroglyphicis Ori, avis nomen Ægyptiacum mihi videtur. *Kiranides* upupam interpretatur.

Bajeth.

Baris.

Hercules.

Anubin

Kyranides.

Hieroglyficæ litteræ.

Quum Ægyptii literis utantur propriis, has quidem vulgò discunt omnes: illas verò quas sacras appellant, soli sacerdotes norunt, à parentibus eorũ privatim acceptas. Apud Æthiopes iisdem omnes figuris utuntur: Diodorus Siculus libro quarto de fabulosis antiquorum gestis. Et mox: *Sed de Aethiopum literis, quas Aegyptii sacras vocant, dicendum. Sunt Aegyptiorum literæ variis animantibus, extremitatibusq; hominum atque instrumentis, sed præcipuè artificum, persimiles. Non enim syllabarum compositione, aut literis, verba eorum*

ba eorum exprimuntur, sed imaginum formâ, earum significatione usu memoriæ hominum tradita. Scribunt (pingunt) quidem accipitrem, crocodilum, serpentem, hominis oculum, manus, faciem, & cætera eiusmodi. Accipiter rem denotat citò factam; quoniam hæc aliarum fermè omnium avis sit velocissima. Transfertur hæc notatio ad domesticas res, quæ velociter fiant: Crocodilus malum significat: Oculus justitiæ servator, & totius corporis interpretatur custos, &c.

De hieroglyphcis quidem literis, sive picturis potiùs, Ori Apollinis cujusdam libri duo extant: & alia quædam ab alijs, ut à Plutarcho in commentario de Isíde & Osyride, obiter scripta. De iisdem mentionem facit etiam Ammianus Marcellinus libro 22. *Ammonii Aegyptiorum coloni*

Ægyptiorum atque Aethiopum coloni sunt Ammonii, & linguam inter vtrosque usurpant, Herodoto teste lib. 2. *Gordianè sepulchrum litteris Aegyptiacis.*

Gordiano sepulchrum milites fecerunt in finibus Persidis, titulumaddentes & Græcis, & Latinis, & Persicis, & judaicis, & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur, Iul. Capitolinus.

Ægyptia lingua eadem est, quæ Alexandrina, de qua Ixion Demetrius librum scripsit Athenæo teste. *Aegyptia lingua Alexandrina.*

¶ ÆOLICA lingua dialectus est

Græcæ cõmunis, in qua ſcriptum nihil, quod ſciam, extat, niſi apud Poetas. Hac utitur Homerus aliquando, auctore Plutarcho, in compoſitis ſyncopem faciens, ut ὑβάλλω pro ὑποβάλλω: & in tertia perſona præteriti imperfecti η pro ει ponens, ut ἐφίλη, ἐνόη, & δίδη, διάη: item σ aliquando mutans in δ, ut cùm profert ὀδμιλῶ & ἴδμεν. Et literis interdum abundans, ut ἔυκηλος, ἀωτὰρ, κεκλήγοντες, pro ἔκηλος, ἀτὰρ, κεκληγότες. Et ſecundæ perſonæ verborum apponens θα, ut ἔφηθα, εἶπηθα. Porrò duplicationem conſonantium alii Doricæ, alii Aeolicæ dialecto attribuunt, ut ἔλλαβεν, ὁππότερος. Pro ὄμματα Aeoles dicũt ὄππατα, βωλὴ pro βελὴ, γᾶν γλῶ, &c. Plura Io. Ammonius in libello de dialectis. Aeolicè ſcripſit Alcæus, cujus apud auctores, præſertim Athenæum, verſus quidam citantur.

Aeolicè ſcripſit Alcæus.

¶ AESTVI Illyricè loquuntur.

¶ AETHYOPVM atq; Ægyptiorũ coloni ſunt Ammonii, de quibus & antè, ac linguam inter utroſque uſurpant, inquit Herodotus libro 2. Æthiopicè *nabis* camelopardalin ſonat. De Æthiopum literis lege ſuprà in ſacris Ægyptiorum literis.

Nabis.

I. *Oratio Dominica, linguâ Aethiopicâ transcripta ex novo Teſtamento, Romæ impreſſo.*

ABVNA zaba ſchamajath: ithkadaſcha ſchmacha. thomtza mangoſthcha. ichun fakdacha bachama baſchamai vabamdurni. ſchiſchajana zalala olathana habana jom. hodog lana abaſchana, chama nohhnana nohdog laza abaſchalana. Vaithbana uſchtha manſchuth. ala adochnana uabalhhana omchulu ochui. oſchama ziacha jothi mangoſth hail vaſchobhhath lailama ilam. Amen.

II. *Symbolum & confeßio Simeonis iuſti linguâ Aethiopicâ.*

Ioze toshoro	lagaborcha	Aeth.
Nunc dimittis	ſervum tuum:	Lat.
ogozio	bacham	Aeth.
Domine,	ſecundum	Lat.
azazocha	baſalam	Aeth.
verbum tuum	in pace	Lat.
aſama	roia	Aeth.
quia	viderunt	Lat.
aoinotoia	ahnotocha	Aeth.
oculi mei	ſalutare. tuum	Lat.
zaaſtadalocha	kodom	Aeth.
quod paraſti	ante	Lat.
chulu	hozobecha,	Aeth.
omnes	populos	Lat.

cham	tochaſto borham
lumen	in revelationem
laahozbo	vachobra
gentium,	&-gloriam
lahozabocha	Oſrael
populi-tui	Iſraël.

Æthiopica lingua affinis Hebraicæ.

Hinc apparet Æthiopicam linguam in multis congruere cum Hebraicâ.

III. De eadē Sebaſt. Munſterus in Grammaticâ ſuâ Chaldaica hæc memoriæ prodidit:

Æthiopicè editum Pſalterium

Evulgatum eſt, inquit, ante paucos annos operâ & diligentiâ Ioannis Potken Agrippinenſis Pſalterium quoddam, incognitis quidem & antehac non viſis ſcriptum characteribus, incertaq; linguâ, quam quidam Indianam putant, alii Chaldaicam vocant: ipſe autem veram Chaldaicam aſſerit, nec ulli ſecus ſentire permittit, præſertim Iudæorum auſcultatoribus. *Deinde poſtquam alphabetū hujus linguæ, & dictiones aliquot propoſuit, ſubdit:* Has literas & ſyllabas Bernhardus Breitenbachius in ſuo Itinerario, ubi de Abaſinis ſive Indianis ſcribit, confuſo ordine poſuit, figurâ minimè à noſtris diſcrepante characteribus. Vbi obiter eſt notandum, duplicem eſſe Indiam: unam orientalem, quæ ſcilicet in Aſia extremum occupat locum, cu-

India duplex.

jus

jus linguam & literas omnino ignoramus. Alia est India meridionalis, in Aphrica scilicet sita, quæ ad Orientem habet mare rubrum, Arabiæ felici contermina, nisi quòd Arabicus interfluit sinus. Porrò ad Septentrionem jungitur Ægypto, & ad Occidentē Æthiopiæ. Et est regio latissima, cujus populi quondam vocabantur Troglodytæ: hodie autem Abasini & Indiani appellantur, viventes sub potentissimo rege, quem vulgò presbyterum Iohannem vocant, aut, quod magis crediderim, presbyterum Cohan, quod tam Hebraicè, quàm Chaldaicè sacerdotem sonat. Ad hos itaque homines dictam spectare linguam, non modò Bernhardus Breitenbachius, verùm & Io. Potken testatur; quorum ille Hierosolymis, hic Romæ homines Indianos conueniisse, & alphabeti eorum literas descripsisse fatentur.

Indiæ quondam populi Troglodytæ.

Deinde ut ostendat quantum hæc lingua à Chaldaica differat ex Psal. 86. ut Hebræi numerant, hunc versum adscribit: Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamaui totâ die: lætifica animam servi tui. Cujus Indiana interpretatio hæc est: Tasahalani ogozio osma habecha ozarha chulo amira: Vuaastafasoha la nasscha gabrocha. Chaldaica verò sic habet: Hus alai jehova ærum kodamach æzalle kal joma: æhade napscha deabdach: Hoc

Indica & Chaldaica lingua affines.

est Miserere super me, Domine; quoniam ad te clamabo tota die : lætifica animam servi tui. In hoc versu duas tantùm voces reperies Indianæ linguæ cum Chaldaicis congruentes, nempe *chulo* & *lanaffcha*. Sed ut clariùs harum linguarum affinitas tibi pateat & diversitas, apponam ex utraque vocabula quædam cum rerum interpretatione:

Indica.	*Chaldaica.*	*Latina.*
Loboi	Libbi	Cor meum.
Zadok	Zaddikà	justus.
Anta	Anté	Tu.
Modorna	Archanà	Terra nostra.
Basom	Betschóm	In nomine
Boosi	Gabrà	Vir.
Amolacha	Elahà	Deus.
Dabra	Thurà	Mons.
Saboo	Enaschà	Homo
Oholo	Lachmà	Panis.
Ion	Chamrà	Vinum.
Beta	Betà	Domus.
Gabarcha	Ehàdta	Feci‌sti.
Sabartha	Tebàrta	Fregi‌sti.

Hinc facile est judicare linguam, quam Indianam vocant, non esse Chaldaicam : nisi contra claram scripturam sentire velis, Danielem, Onkelon, Ionathan, & reliquos orientales interpretes, non Chaldaicè, sed fortasse Callicuticè scripsisse. Est

Est igitur lingua propria, & suæ genti peculiaris : tunc quidem cum Chaldaismo, nunc verò cum Hebraismo nonnihil habens affinitatis, sed plus cum utroque diversitatis. Proinde mihi videtur, si in sensu meo abundare permittor, eam Æthiopum esse linguam, sicut & Abasini ipsi non admodum ab Æthiopibus differre dicuntur : quanquam non nesciam, ipsos Iudæos in suo Haruch eam vocare linguam Ismaëliticam : id quod dictiones nonnullæ indicant, quas ex hac lingua in Haruch ipsum retulerunt. Hucusque Munsterus.

¶ AFRI vel Libyes linguâ Punicâ, quam eandem Arabicæ faciunt eruditi, mures vocant *zegeries* : quod in Græca valet idem, quod *βουνοί*, id est, colles, inquit Herodotus libro 4. Accipiter Libycè vocatur *barbax*, Hesychius. Libyes *battos* appellant reges: Scholiastes Pindari.

Vocabula quædam ; quibus utuntur Mauri nigri, id est, Africani, qui ad mare mediterraneum habitant circa Tripolim arcem, quam Rhodienses obtinent : nam alia lingua, ut audio, apud Mauros albos est.

Alha.	Carnes.	Credy.
Deus.	Fœmina.	Nobilis.
Bonia.	Cart.	Syrap.
Le ctus.	Papyrus.	Vinum.

Brit.	Barbo.	Barboni.
Panis.	Fur.	Furari.
Ortho	Bacco.	
Mensa.	Nihil. &c.	

Vide etiam inferiùs de Punica lingua.

¶ ALEXANDRINORVM lingua eadem est, quæ Ægyptiorum.

Anglica lingua mixta ex multis.

¶ ANGLORVM lingua, inquit Seb. Munsterus, mixta est ex multis linguis, præsertim Germanicâ & Gallicâ. Olim verò merè fuit Germanica: id quod animadvertere licet ex Beda, qui ex Anglia oriundus fuit. Is enim in libro De temporibus sic scribit: Veteres Anglicani populi numeraverunt menses suos secundùm cursum Lunæ, appellantque Lunam *monam*, & mensem *monath*: Decembrem vocant *Halig monath*, id est, sacrum mensem, *Eoster* vel *Esturmonath*, id est, paschalem mensem; idque à Dea quadam, cui Teutonici populi in paganismo sacrificia fecerunt tempore mensis Aprilis, quæ *Eostre* est appellata. Majum appellaverunt *Thrimelci*, id est, *tres mulctræ*, quòd eo mense pecora ter die mulgerent. Hic locus in impressis codicibus non facilè invenitur: ego verò inveni in libro MS. quem Glareanus ex Nigra sylva anno 1545. huc Basileam misit. Hæc Munsterus.

Sunt

Sunt autem vocabula illa, quæ Beda Anglica facit, Germanica omnia. Angli hodie nonnihil variant nam Lunam vocant *mone:* menſem, *moneth*: paſcha, *eaſter*: mulctram vas, *mylkyng payle*: ipſum lac mulctũ, *meale*. *Inprimis Germanicæ affinis.*

De Britanica veteri, quæ adhuc in Angliæ parte retinetur, Vvallica dicta, dicetur inferiùs.

Oratio Dominica in hodiernâ linguâ Anglicâ:

Our father, *w*hiche arte in heauen. Halo*w*ed be thy namè. Thy kyngdome come. Thy *W*yll be done euen in earthe, as it is in heauen. Giue us thys day our daygly bread. And forgiue us our dettes, as *W*e alſo forgiue our detters. And leade us not in to tentation. But delyuer us from euyll. For thine is the kingdome, and the po*w*er, and the glory for euer, Amen.

Sunt autem vocabula Germanica vel Saxonica omnia, ſed aliquo modo detorta, vel immutata, præter ſubſtantivum verbum arte & be: & but, id eſt, ſed conjunctionem: & nomen heauen, id eſt, cœli: & Gallica vocabula dettes ac detters, & delyuer. Audio ante annos aliquot, & patrũ memoriâ multò pauciora Gallica & Latina vocabula in hac lingua fuiſſe, quæ nunc eis abundant: nam & in colloquiis ea multi affectant,

& in ſcriptis præcipuè intermiſcent veluti floſculos ac pigmenta, ita ut vulgus niſi adhibitâ interpretatione non intelligat. Maxima tamen pars adhuc Saxonica eſt. Libri quidem ante ducentos aut trecentos annos in Anglia ſcripti, toti ferè Saxonicâ linguâ conſtant. Quædam etiam propria habent, ex veteri fortè Britanicâ linguâ. Scotica parum ab Anglicâ differt, ſed pauciora Gallica vocabula habet: utpote ad Septentrionem remotior. Nam & ipſi Angli Septentrionales magis, quàm Auſtrales, ad Germanicam linguam accedunt.

¶ AQVITANORVM lingua quæ olim fuerit, non conſtat. Vide in Gallica.

Arabica lingua affinis Hebræa.

¶ ARABVM lingua eſt; qua omnes Muhamedicæ religionis cultores in Grammaticis utuntur, affinis Hebraicæ. Tantum autem Muhamedis religio patet, ut vix tertia pars orbis terrarum reliqua ſit, Guil. Poſtello teſte.

Oratio Dominica Arabicis verbis, Latinis autem literis deſcripta, ut pronunciant, qui euphoniæ ſunt ſtudioſi.

Vide Iſagogen Chriſtmanni.

Abana aldhi phi alſsemaueti' kaduſſu' iſsmeca. tati malcuteca'. tacunu' meſiteca cema phi alſsemai', vehhale ala' tzhi'. chobeznacephaphna ahhtiana phi aljomi'. veahh-

phar

phar lana ma juchibu' hhalena:cema hhapharna leman ichtta elena. vela tadchulna teghribu', iacine' naghna min alsariri'. lane' leca almalcutu', vealkutu', vealmeghedu'alealebdi'. Amen.

Arabica & Turcica lingua diversæ sunt, sed characteribus iisdem utuntur:Bellonius.

Arabes suâ dialecto loquentes Apostolos Hierosolymis in Pentecoste admirantur.

¶ ARAMAEA lingua eadem, quæ Chaldaica est.

¶ ARBENSES Illyricè loquuntur.

¶ ARMENORVM lingua vulgaris & Turcica est & Tartarica.

Oratio Dominica in linguâ Armenicâ:

CHAIR mer ur hierchins, des srboi ezisi anoncho. ekesse archaiotaicho. ezisin chaokcho, urbis hierkins,ie etchri. Zachaz mer hanaba gsord tour mez ais anroie touz mer zaabartis mer, urbis ie mech tossume merus bartbanas.ie mi tanirzame zprtzo tai. ail phirkai zamer izare.Zucho e archaiotai,ie zariotai,ie paouch,auiteaus.Amen.

Armenorum linguâ *Araxa* idem est,quod μισοπάρθενος, inquit Plutarchus in libro de fluviis: & *Axalla* Armeniis *calidum* significat testeStobæo.

Lingua Georgianorum vulgaris Armenicæ & Tartaricæ media est: G.Postellus.

Armenica lingua affinis Hebræa.

1. Habet Armenica lingua voces multas Hebraicas, ut eam originem & parentem satis referat: cujusmodi sunt,

Armenicè,	*Hebraicè,*
Ael, Deus.	El.
Aeli, Deus meus.	Eli.
Rabbi & Rabbuni, magister.	Rabbî,
Lezu, lingua.	Laschón.
Zamanach, tempus.	Zemân.
Chahanaim, sacerdotes.	Chohenim.
Hhatz, crux.	Etz vel hétz.
Ail, sed.	Allâ.
Vsan, signum.	Nés.
Cho, tu.	Châ.
Chum, tuus.	Châ.

2. Quædam cum aliis linguis habet communia, ut sunt:

Episcoputhi, episcopatus: Za præpositivus articulus, quem cum Aethiopica habet communem: Du, tu: Von, ab: Ail, alii, ἄλλος Em, εἰμὶ, sum: Mesch, μέσον, medium.

Ab Armenis acceperunt Germani, Carle, Carol. Dicunt enim Armeni car, potuit: carol, potens, &c.

Item aliis linguis. Berosus & Xenophon de Armenica lingua

De Armenica lingua Berosus, & Xenophon in æquivocis hæc memoriæ prodiderunt: Armeni (Scythæ Armeni) ipsum Noa, tanquam virum sapientissimum & divinæ naturæ participem, *Olybama* & *Axsa*, id est, Cœlum & Solem, cognominaverunt, & illi

plures civitates dedicaverunt. Nam & ad hæc tempora Scythæ Armeni urbes habent Olybama & Arsa Ratha, & ejuscemodi, Berosus. Incolę in Armenia *Saga* ipsum Noa, omnium Deorum patrem, vocant: & primùm dixerunt *Ogygisan Sagam*, id est, illustrem sacrorum pontificem Noam Dysir (*M. Porcius Cato etiam Sagos primos Thuscos, interpretatur pontifices & sacros expiatores.*) *Thyteam* verò (alii *Tideam, nimirum ejus uxorem*) *Aretiam* dixerunt, id est, Terram, & *Estam*, id est, Ignem, (אש *esch* enim ignis Hebræis) post mortem cognominaverunt: quia ipsa regina sacrorum fuerat, & puellas docuerat sempiternum ignem sacrorum servare. Vino etiam invento Noa cognominatus est *janus*; quod Aramæis sonat *vitifer*, & *vinifer*. (יין *jain enim Hebræis vinum est.*) *Plinius scribit Scythas, vocatos esse* Sacas *à Persis, & lingua Persica* Aramæos. *Noa cognominatus janus.*

Exsiccata post diluviũ humo, Noa de monte Armeniæ Gordyæo descendit in subjacentem planiciem plenam cadaverum, quam usque ad hanc ætatem appellant Myry *Adam*, id est, eviscceratorum hominũ. Filium Chem infamia & impudentia insignem *Chemesenua* cognominavit, id est, Chem infamem & impudicum, incubum, propagatorem. Est enim *Esen* apud Scythas Aramæos in-

sanis & impudicus: *Enva* verò tum impudicus, tum propagator, Idem.

Ianus (Noa) in Italiam veniens omnes colonos à Camesenuo, filio suo, corruptos, montana trans janiculum amnem colere jubet, illisque filiam suam Cranam Helernam, id est, suffragio ab his electam & exaltatam reginam cum sceptro dat. Nanque duos filios suos novissimos Cranum & Cranam janus cum Comero (Gallo Italorum rege) miserat, coaluerantq; in gentem atq; posteritatem maximam, quam nostrâ ætate janigeneam vocant: cognominant autem Razenuam, id est, sacram propagatricem incubamq;, contra impietatem Camesenui. Cranum etiam Razenum cognominavit janus. Colonias à se (in Thuscia) positas vocavit Aryo janas, id est, à jano exaltatas: Berosus, qui & Armeniam *Sagam* vocat; quam Scythicam interpretor.

Sub Aralio, septimo rege Babyloniorum, cõflagravit Italia in tribus locis, circa Istros, Cymeos, & Vesuvios: & vocata sunt à janigenis illa loca *Palensana*, id est, regio conflagrata, Idem.

Sagæ (apud quos Ogyges atavus Nini, quem Babylonii Gallum cognominant, in diluvio salvatus est navigio) ratem vocant gallerim, quòd ab undis salvet, Xenophon in

æquivo-

æquivocis. hinc forte vulgare Germanis & Gallis nomen Galleen/Gallere. Sicanus rex apud janigenas sub Armatrite, nono rege Babyloniorum, deificavit Aretiam, & nominavit eam linguâ janigenę Horchiam. Kytim regem Celtiberorum janigenæ ob mentis excellentiam suâ linguâ vocaverunt Italum, Atalaa.

¶ ASIA regiones ac linguas multas diversasq; habet. Quare non satis clarum est quod Athenęus scribit: Σταφυλῆς vocabulum videri ἀσιαγενὲς, id est, Asiaticum. Gentilium terminationē in *enus* (ut a *Marsya* urbe Phœniciæ *Marsyenus*) Stephanus grammaticus alibi Asiaticam simpliciter vocat: alibi illorum propriam esse dicit, qui habitant juxta Euphratem & ad Orientem. Est ubi Arabes tum hac, tum aliâ in *ites* terminatione uti scribit. Cappadoces quóq; in *enus* formant gentilia, ut à *Mazaca*, *Mazazenus*.

Asia multis semper usa linguis

Asiæ incolæ Apostolos suâ linguâ loquentes Hierosolymis in festo Pentecostes audiunt.

Asiaticum dicendi genus pro fuso copiosoq; legere memini.

¶ ASSYRIORVM lingua eadē, quę Chaldaica.

¶ ATTICA lingua, dialectus est Græcæ communis: & hac prę cæteris Homerus uti-

Attica lingua Græca communissima.

tur. Hæc λεὼς dicit pro λαὸς: duas item syllabas in unam collidit, ut τὤπΘ pro τὸ ἔπΘ: ex optativis quibusdam η aufert, δοκοῖς pro δοκήοις. Hæc etiam profert καλῆς pro καλῆνες: & accusativos hujusmodi, βᾶς ἰχθῦς, nō dividit: in tertia plurali ζεύγνυσιν & ὄμνυσι dicit: vocales breves interdū omittit, οἶμαι, λᾶται pro οἴομαι, λάεται: epsilon augmentis vocalium præponit, ἐώρων, ἐωνησάμην: jôta omittit alicubi, ut in vocabulis ἠιόνες, Νηρηίδες, σφῶι: & in dativis in jôta purum exeuntibus, ut χήρᾳ pro χήραι: item ἔσων pro ἔσωσαν: optativis utitur pro indicativis præteritis: nominibus fœmininis articulos vel participia vel adjectiva generis masculini adjungit, ut τὼ χεῖρε, τὼ γυναῖκε, & apud Platonē ἡ σοφὸς γυνὴ, Plutarchus: pro σωὶ, ξωὶ: & pro duplici sigma, duplex τᾶυ ponit &c. Vide Io. Ammonii de dialectis libellum. Inter authores, qui Atticè scripserunt Aristophanes Comicus, & Demosthenes Rhetor celebrantur. Iadem sive jonicam dialectum eandem esse veteri Atticæ. Eustathius, Dionysium periegeten enarrans, prodidit. Athenienses Crœsi tempore inter jones excelluerunt, ait Herodotus.

Vide & Symphses dialectorum Iacobi Zuingeri.

BABY-

¶ BABYLONIORVM lingua Chaldaica eſt.

¶ BARBARI, quatenus certus quidá Æthiopiæ populus ſunt, à quo ſinus Barbaricus eſt denominat⁹, lingua Æthiopica utũtur.

¶ BELGICA lingua, vide Gallica.

¶ BEMGALENSES Arabicè loquuntur.

¶ BESSI, hodie Boſnenſes vel Boſnaſienſes, Illyricè loquuntur.

¶ BITHYNOS etiam Græcè loquutos eſſe ex menſium nominibus conjicio, quæ uſitata eis fuerunt hæc: Ηρι῀ος, Ερμι῀ος, Μηξά῀ος, Διονύσι῀ος, Ηράκλει῀ος, Δῖος, Βενδιδεῖ῀ος, Στρατεί῀ος, Αρει῀ος, Περιέπι῀ος, Αφροδίσι῀ος, Δημήτρι῀ος.

¶ BOHEMI & Boruſii Illyricè loquuntur.

¶ BOSNENSES vel Boſnaſiẽſes, vide Beſſi.

¶ BRASILIANI peculiari linguâ Indicâ utuntur.

¶ BRITANNICA lingua vetus ea eſt, quæ *VVallica* hodie apud Anglos vocatur, in tota, ut conjicimus, inſula uſitata, antequã Saxones eâ devictâ linguam quôq; ſuam intuliſſent, quę in maxima parte nũc obtinet, Britannicâ veteri in regionem non magnã contractâ. *VVallos* (vulgò Walhen) Germani vocant, quaſi *Gallos*, peregrino & incognito eis ſermone loquentes homines, ut Græci ac Latini *barbaros*: hinc ab Angloſaxonibus etiam VValliam regionem, & ejus incolas

Britannica vetus eadẽ quæ VVallica.

VVallos appellatos puto. Eandem esse arbitror Britonum in Gallia, quos *Tonantes* cognominant à pronunciationis absurditate, quam scilicet Britanni, Armorica à parte Galliæ occupatâ, cùm Saxonum irruptioni cessissent, secum invexerunt. Plura leges in Cosmographia Munsteri libro secundo, ubi de rebus Gallicis scribit.

Vetus Prussica affinis Britannicæ

Britannicæ linguę propiorem facit Corn. Tacitus linguam veterum Prussorum; quorum è numero sunt Sudini, Curi, atque alii: immistæ ei sunt multæ Græcorum voces; quas tamen ita rustic è proferunt, ut eas, nisi quis diligenter animum advertat, intellige. re non possit, Georg. Agricola. Lingua porrò vetus Prussica ferè eadem est, quæ Curorum, Livonum & Lituanorum, ut audio: dialectis variant, & nihil habent commune neq; cum Germanica, neq; cum Sarmatica vel Illyrica: sunt tamen qui Curos Illyricè loqui dicant.

Oratio Dominica in linguâ VVallicâ seu Britannicâ vetere.

Eyn taad rhwm wyt yn y nefoedd: santeiddier yr henw tau: deued y dyrnas dau: gwneler dywollys, ar y ddayar megis ag yn y nifi. Eyn bara beunyddawl dyro inni heddiw: a madden ynny eyn deledion megis ag i maddewn in deledwyr ninau: ag na thowys nii bre-

brofedigaeth namyn gwared ni rhag drwg. Amen. Hoc est:

Noster pater, qui es in ipsis cœlis: sanctificetur nomen tuum: adveniat illud regnum tuum: fiat tua voluntas super illam terram sicut & in illo cœlo: nostrum panem quotidianum da nobis hodie, & remitte nobis nostra debita, sicut etiam remittimus debitoribus nostris. Et ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo, Amen.

¶ BVLGARI, vide Rascij.

¶ CAMBRICA lingua eadem, quæ vetus Britannica; quam vide.

¶ CAPPADOCVM linguâ Barbaram esse conjicio vel ex mensium nominibus duodecim, quæ sunt, Τίριξ, Μάτα, Ξανανθικοί, Μίθρι, Απομεναμὰ, Αρθεὰ, Τιθροία, Ωσμόνια, Σόνδεμα, Αρταία, Αρτεσίν, Αραιότατα. *Cappadocum lingua barbara.*

Cappadoces mirantur Apostolos suâ linguâ loquentes Hierosolymis in Pentecoste.

¶ CARES Homerus in Catalogo privatim βαρβαροφώνες appellavit: non quia Cariæ lingua brevissima sit (quod non est: nam permulta Græca nomina admixta habet, ut Philippus testatur Caricarum rerum conscriptor:) sed ego arbitror ab initio confecto nomine, eos *barbaros* appellatos; qui difficulter, asperè ac duriter loqueren- *De linguâ Caricâ, de que barbaris & barbarismo in universum, è Strabonis li. 14. Barbari.*

tur, ut *blæsos balbosq;* dicimus. Sumus enim ad confingenda rebus cognata nomina ingenioſi, qualia apud nos permulta ſunt: ut, κελαρύζειν, κλαγγὴ, ψόφος, βοὴ, κρότος, id eſt, *murmurare, clangor, ſtrepitus, clamor, applauſus*: quorũ plurima jam propriè pferuntur. Cùm igitur omnes, qui craſsè loquuntur, *barbari* dicerentur, tales præcipuè viſi ſunt nationes cæteræ, præter Græcos. Quare illos propriè *barbaros* appellavimus; ac in initio quidem per convicium, quaſi *duriloquos* & *craßilingues*: poſtea verò eo nomine abuſi ſumus tanquam communi ac gentili, diſtinguentes eos à Græcis. Cũm enim jam multa conſuetudo & commerciũ eſſet cum barbaris, non ampliùs ex craſſitudine linguæ, & quadam vocalium inſtrumentorum ineptitudine, ſed ex dialectorum proprietate (proprio quodam vitio) talis pronunciatio, provenire videbatur. Porrò alia quædam, & quaſi barbara loquendi pravitas, in linguâ noſtrâ videtur, ſi quis non perfectè Græca pronunciet: ſed ita nomina proferat, quemadmodum barbari ſolent, qui ad Græcam dictionẽ introducti, expedire linguam non poſſunt, quemadmodum nec nos illorum orationem: quod apprimè Caribus contingit. Nam alii non multùm cum Græcis diverſabantur, nec Græcè vivere, nec eorum

dictionem

dictionem ediscere pertentabant, nisi perrari admodum ac fortuitò vir viro congredientes. Nam Cares per totam Græciam erraverunt stipendia merentes. Quare *barbari* ex illo sunt appellati, ex quo ex Græcia militarunt. At posteaquam apud insulas hab itarunt, id multùm in eis eminuit. Inde in Asiam profecti, nec ibi sine Græcis vivere potuerunt. Nam jones cum eis ac Dores trajicere. Ab eadem quóq; causa *barbarismus* dictus est. Tum enim in his dicere consuevimus, qui malè græcissant: non autem in iis, qui Caricè loquuntur. Sic etiam barbariloquos & barbari sermonis homines, eos accipere debemus, qui malè Græca pronunciant. Carico autem more barbarismú ad Græcæ orationis artem transtulerunt, & solœcismum: sive id nomen à Solis ductum sit, sive alio modo: Hæc omnia Strabo. Græca verba circa finem sic sonant: Ἀπὸ δὲ τῦ καρίζειν καὶ τὸ (fortè τῦ) βαρβαρίζειν, μετήνεγκαν εἰς τὰς περὶ ἑλληνισμῦ τέχνας καὶ τὸ σολοικίζειν, εἴτ' ἀπὸ Σόλων, εἴτ' ἄλλως τ' ὀνόματος τύτυ πεπλασμένυ.

¶ CARNI, CARNIOLANI, & CARINTHII usque ad Dravum, Illyricè loquuntur.

¶ CASVBI, aliâs Cassubitæ, Illyricè loquuntur.

¶ CELTICA lingua, vide Gallica.

Chaldaica linguæ affinis Hebraicæ.

¶ CHALDAICA lingua, quæ & Aramæa, & Syrorum, & Assyriorum, & Babyloniorum vocatur, hodie eruditiores in Ægypto & Æthiopiâ utuntur, ut audio: Hebraicæ confinis est: nec fortè multò ampliùs differt quàm Dorica à Græca communi.

Oratio Dominica in lingua Syriaca vel Chaldæa, ex Evangelio Matthæi, Viennæ impresso.

Abun debaschmajá, iith kaddásch schemôch, tithé malcuthóth. jehe: tzebjonôch echân- na debaschmajâ aph bearhá. hablan lachme desunkanân jomona . vschbúck lan cho- boin eichana deaph hhanun schebakan lech iaboin. Vela tahalan lenisajona ella phatzan men bischa . Methil dediloch hi malcutha, vęchaila, vethaschbuch thá lehalám almin.

Hac linguâ utuntur hodie in sacris & grammaticis (alioqui vulgaris sermo Arabicus his est:) quamplurimi Christiani; qui in tota Syria habitant, sed præcipuè circa montem Libanum, ad quatuor millia hominum: vulgò *Christianos de Zona* dicunt. Chaldaicos in ripa repertos characteres à transitu fluminis notant.

Chal-

Chaldaicam candé esse Babylonicam certò novimus, inquit Munsterus. Vide etiam suprà in Æthiopum linguâ. Philo Iudæus Hebraicá vocat, ut audio, & contrà. Falconis sacri genus primum secundùm Babylonios & Assyrios vocatur *seph*: alterum genus dicitur *semy*: tertium *hynaire*: & peregrinus, ab Ægyptiis ac Assyriis, Tardivus.

¶ CIRCASI Quinquemontani circa Pontum, aliâs *Cierca ßi* circa mare Caspium, Illyricè loquuntur. Hi, ut audio, in Africa aliquandiu imperârunt, *Mamaluchi* etiam dicti.

Circa ßi versus mare Hyrcanum, gens belicosissima, quę longo tempore Ægypto cum Syria sub servorum (*fortè quia servi dicuntur Sclavi*) nomine imperavit, ex Sclavorum gente originem sumpsère, linguaq; utuntur Sclavonicâ, ac Christi fidem secundùm ritum Græcum sequuntur: Bilibaldus Pirckeymerus.

¶ COLCHIS lingua eadem est, quæ Ægyptiis: Eustathius in Dionysium.

¶ CORALI Illyricè loquuntur.

¶ CRESTONIATARVM lingua, lege in Pelasgica ex Herodoto. Est autem Creston urbs Thraciæ.

¶ CRETENSES Græco sermone utuntur. Hi Apostolos Hierosolymis in Penteco-

ste suâ dialecto loquentes audiverunt & admirati sunt.

¶ CROATI, aliâs CHROATI, & CVLMII linguâ Illyricâ loquuntur.

¶ CVRORVM lingua, vide suprà in Britannicâ vetere.

¶ CVTHAEI vide Samaritani.

¶ CYPRVS quondam Venetorum nunc Turcarum imperio paret. Insulani Græcè loquuntur etiamnum, sed corruptè. Antiqua mensiũ nomina usitata eis hæc fuerunt: Ἀφροδίσιος, ἀπογονικὸς, αἰνικὸς, ἱέριος, καισάριος, σεβαστὸς, αὐτοκρατορικὸς, δημαρχεξούσιος, πληθύπατος, ἀρχιερεὺς, ἔθνος, ῥωμαῖος.

¶ CYRNIORVM, qui Cyrnum, id est, Corsicam incolunt, linguâ exules seu profugi dicuntur *balari*, Pausanias.

Dacia limes Tibiscus fl.

¶ DACORVM & Getarum sermo idem est, ait Strabo libro 7. Tibiscus Fl. Ptolemæo limes est veteris Daciæ, cujus cultissima pars est Transsylvania, provincia multis habitatoribus frequens. Nam eam & Germani, quos appellant Saxonas, & Hungari, & Hungarorum antiquissimi *Siculi* dicti, (qui linguâ suâ sunt Zekheli, & ad hujus imitationem à quibusdam vocantur *Ceculi*) incolunt: ut omittam pervetustas Romanorum reliquias Valachos,

lichos, qui frequentes ibidem vicos & pagos habent. Potiuntur tamen rerum Hungari, & penes eos imperium est: eoque fit, ut Transsylvani quoque Hungarorum nomine censeantur. Est verò planè mirabilis diversarum, nec unius linguæ per universam Hungariam gentiũ mistura, quemadmodum à me dicetur prolixiùs ea in commentatione, qua res Hungariæ, & populorum in ea origines, appellationes, leges, mores, institutaque conor explicare: Georgius Vuernherus in Hypomnematio de admirandis Hungariæ aquis.

Dacicas aliquot stirpium nomenclaturas legere memini inter illas, quæ Dioscoridi attribuuntur: ex quibus tamen qualis hæc lingua sit, vel quacum ei conveniat, conjicere non possum: ut *Cotiata*, gramen: *Cercerapheron*, anagallis purpurea: *Caropithla*, catanance: *Aniassexe*, onobrychis. *Dacicis vocibus usus Dioscorides.*

¶ Dalmatica lingua, vide infra in Illyrica.

¶ Deorvm linguæ meminisse videtur Homerus, dum nomina quædam divina, alia humana facit: divina nimirũ illa vocans, quæ quamrectissimè seu verissimè facta sunt: ut fluvii, quem Deos *Xanthum* vocare ait, homines verò *Scamandrũ*: & avis, quã Dii *Chal-* *Alia divina, alia humana nomina.*

siden, homines *Cymindin*, & urbis, quam tum *Baticam*, tum *Myrinen* appellari canit. Idem filium Hectoris *Scamandrium* à mulieribus, à viris (rectiùs nimirum) *Astyanacten* vocatum ait, Plato in Cratylo. De lingua Deorum plura quęre apud Homerum, & Scholiasten Odysseæ χ. & suprà, ubi de linguis in genere scripsimus, ex Clemente.

Dorica lingua usus Homerus,

¶ Dibriorvm sermo Illyricus est.

¶ Dorica linguâ Homerus, ut aliis Grę cæ linguæ dialectis (inquit Plutarchus) usus est: ut cùm dixit consuetâ Doribus ellipsi, δῶ pro δῶμα: & ὅ pro ὅτι: & ἆψ pro ὀπίσω: & ἄλλο pro ἄλλοτε. Item per syncopen ὄξιχας, pro ὁμόξιχας: & οἰετέας pro ὁμοιητεῖς: & ὀπάξιον pro ὁμοπάξιον: & ξεῖν pro ξέμεν: & τίω pro τιμῶ. Solent etiã Dores literas transponere, ut χάρτιστοι pro κράτιστοι: Hæc ille. Dores etiam τ aliquando pro κ scribunt, ut τῆνΘ pro κεῖνος: aliquando econtra: & futura circumflectunt δείξῆ, λαψῆ: & in secundis personis jota omittunt, τύπτεις, pro τύπτειις. Alpha quidem pro ἦτα ponere eis frequentissimum. Qui

Item Theocritus, Timæus, & alii.

Doricè scripserunt nonnulli extant, ut Theocritus poëta, Timæus Locrus de Natura. Lacedæmonii inter Dores excelluerunt, Græ-

si tem-

si tempore: Herodotus. De Laconica lingua leges inferiùs elemento L. Dores præcipuè, ut platystomi, incessuntur à Græcis, quòd justo frequentiùs in dictionibus a literam ingerant, unde apud Theocritum garrulæ mulierculæ coarguuntur πλατειάδοισαι ἅπαντα, ut quæ Syracusiæ forent: Cælius Rhodiginus.

¶ELAMITAE, Arabię gens Apostolos Domini Hierosolymis in Pentecoste suâ linguâ loquentes admirabunda audivit. Persæ ?

¶EPIROTARVM lingua Illyrica est. Imo alia

¶GALATAE, qui super Phrygiam incolunt, coccum fruticem linguâ vernaculâ *hys* nominant, Pausanias in Phocicis. Est autem is frutex ejusdem generis cum ilice aquifolia, quam Galli Europæi hodieq; *hous* vel *hus* appellant. Quare hoc etiam argumento, Galatarum in Asia eandem esse aut fuisse linguam, quæ in Europa Gallorum est aut fuit, evincetur. Vide plura mox in Gallica lingua vetere. *Trocini (Germaniæ populi)* à lacessendo dicti: *toliſtogobi* à ferendis arcubus cognominati: socii Brenni & Thessaloni, in Asia sedes posuerunt: dicti Galatæ, ad quos sanctus Paulus scripsit, Iohan. Auentinus. *Galatæ in Asia eadem lingua qua in Europa Gallorum.*

De linguâ Gallicâ, & primùm qualitem vetere.

¶ GALLI & Helvetii qua linguâ Iulii Cæsaris tempore usi sint, duæ sunt conjecturæ. Quidam enim putant, ut Beatus Rhenanus, Gallicam linguam tunc neque cum Germanica, neque cum Francica, qua hodie Galli utuntur, communicâsse, sed propriam extitisse linguam. Alii verò, ut Ægidius Tschudus & Henricus Glareanus, Gallos tunc usos putant lingua Germanica, potissimùm ea, qua adhuc Helvetii utuntur : habenturque utrinque probabiles rationes, Sebast. Munsterus.

Inter nomenclaturas stirpium Dioscoridi attributas, Gallicæ etiam paucæ leguntur: ut *bacchar*, id est, asarum : *beliocandas*, id est, millefolium : *corona*, id est, argemone: *ducone*, id est, ebulus. In Marcelli empirici etiam libris Gallica quædam nomina herbarum invenio: ut sunt, *ratis*, id est, filix: *bricumus*, id est, artemisia: *baditis*, id est, nymphæa: & ignotæ, *vernetus*, *blutthagio*: item *visumarus*, id est trifolium : *gilarus*, id est, serpillum. Videtur autem terminatio in *arus* frequens fuisse veteri Gallicæ linguæ : nam & virorum nomina propria in *marus* aliquot legimus : ut sunt veterum Germaniæ regum, *Visomarus*, *Vadomarius*, *Chonodomarius*, *Rithomarus*, *Theodomarus*, *Viduarius*, *Suomarius*, *Hortarius*, *Rumarus*, *Arabarius*, *Nodomarius*, *Viridomarus*,

2. Gallorũ lingua veteri olim frequens in arus, vel arius terminatio.

nus, & *Gelimeris*, Vandalorum rex. Item quæ hodieque in usu sunt, *Otmarus* vel *Ottomarus*, *Detmarus*, *Hincmarus*, *Dancmarus*, *Drutmarus*, &c. Et fortè hæc nomina pleraq; composita sunt ex duobus: priore in pleriſq; obscuro: posteriore verò *maro* vel *mareo*, id est, *equo*. Nam & Græci multis nominibus propriis equum addiderunt, tanquam nobilitatis notam, Aristophane in Nubibus teste: ut Philippo, Ctesippo, Speusippo, &c. Aventinus tamen *mar* vel *meer* ab augendo derivat, quod Germanis est meeren.

Cæterum ut *marus* vel *marius* virorum: ita *dunum* vel *durum* in vetere Gallica, aut etiam Germanica lingua multis oppidorum nominibus propriis sive terminatio, sive potiùs vocabulum alterum è duobus compositis adiiciebatur: ut sunt, *Lugdunum*, *Lugodunum*, *Iverdunum*, *Cambodunum* *Carrodunum*, *Tajodunum*, *Gessodunum*, *Gannodurum*, *Marcodurum*, *Batavodurum*, *Bracodurum*, *Bocodurum*, *Novidurum*, *Ventodurum*. 2 *In dunū vel durum*

Similiter *magus*: ut, *Breucomagus*, *Rhotomagus*, *Neomagus*, *Berbetomagus*, *Novomagus*, *Rigomagus*, *Duromagus*, &c. 3 *In magus*

In *mundus* quoque terminationem video antiquam; quod nomen Germanis os 4 *In mundum.*

hominis significat: inde virorum nomina, *Sigismundus*, *Trasimundus*, rex apud Fulgentium, *Emundus*, *Guimundus*, *Reimundus*, *Varemundus* & *Rosemundus* apud Marcellinum, si bene memini, *Segismundus* apud Tacitum, &c.

5. *In ricus.* Item in *ricus*, quod divitem significat: ut *Henricus*, *Dieterichus*, vel *Theodorichus*, apud Suidam & alios, *Fridericus*, *Ericus*, *Vuenericus*, *Heimericus*, *Helpericus*, *Huldricus*, *Gundericus*, & apud Marcellinum libro trigesimo primo, *Athanaricus*, *Viderichus* (quod ad Fridericum accedit) *Ermenrichus*, &c.

6. *In rix.* Et apud C. Cæsarem in *rix*: ut *Orgetorix*, *Dumnorix* & *Viridovix*, nisi legendum potiùs *Viridorix*, id est, Fridericus, &c.

7. *In manus.* Et in *manus*: ut, *Almanus*, *Adelmanus*, *Ringmanus*, *Hartmanus*: & apud Marcellinum *Langarimanus*, &c. Est autem mann/ *vir*, linguâ Germanicâ.

8. *In baldus.* Item in *baldus*, *boldus*, vel *poldus*: ut, *Theobaldus*, *Leopoldus*, &c.

9. *In bertus, &c.* Item in *bertus*, *artus*, vel *hartus*: ut, *Theudibertus*, apud Suidam in Οὐδιβέρτου. Talia sunt, *Rupertus*, *Giselbertus*, *Dagobertus*, *Hildebertus*, *Vilpertus*, & alia innumera.

A principiis verò nominum compositorum sæpiùs *vir* syllabâ seu dictionem potiùs

animad-

animadvertimus in propriis hominum apud Marcellinum, & alios, quæ fortè à Germanica frid *pacem* significante, sumpta est, r literâ omissâ, uti in Videricho: ut sunt *Vithericus* Greuthungorum rex, *Vithimiris* rex, (ejusdem significationis puto, cujus *Britomarus*, & *Viridomarus*, id est, pacem augens:) *Vitichabius* vel *Vithigabius* Alemannorum rex: *Vitrodorus* Quadorum rex; *Vitiges* vel *Vitigites*. Fuit & *Viturgia* uxor Proculi, quæ se à Francis originem trahere dicebat. Sed hæc pluribus persequi instituti nostri brevitas prohibet.

Galatas super Phrygiam coccum fruticem *hys* nominare, suprà ex Pausaniâ probatum est. Ejusdem speciem majorem, id est, ilicẽ aquifoliam, Galli hodie nominant *hous* vel *hus*. *Hys.*

Drau/Drou fides est Germanis: drauen/trouen fidem habere. Fœminarum inde complura nomina: ut, *Gariodruda*, *Ariodruda*, & *Druides* philosophi Galliæ, pulsi à Tiberio Cæs. in Germaniam. Vulgus cujusdam Numinis genus esse putat, quod noctu premat fontes: & quo infantes territant: saltationis, figuræ Mathematicæ, calcei etiam philosophici genus adhuc nomen ab ipsis retinet, Aventinus. Videntur igitur Druidæ dicti à fide, quòd eis, tanquam sacerdotibus & sa- *Drau.* *Druidæ.*

pientibus fides à vulgo haberetur. Hi sunt, ut conijcio, qui postea à Germanis *studiosi peregrinantes* dicti sunt, die farenden schüler; qui Salamanticæ in Hispania, patrum nostrorum memoriâ in subterraneo gymnasio magiam edocebantur. *Bardi* etiam sapientes, & Musici apud Germanos à peregrinando dicti videri possunt, die farenden. A fide etiam Galli hodie inducias videntur *troves* vel *treves* nominare, quôd hostes de ijs inter se fidem dent.

Bardi.

Treves.

Ogmius. Celtæ Herculem suum *Ogmium* suâ linguâ appellant, Lucianus.

Beco. Antonio primo, Tolosæ nato, cognomen in pueritia *Beco* fuerat: id valet gallinacei rostrum, Suetonius. Galli quidem hodie omne rostrum cujusvis avis *bec* appellant.

Gybertus Longolius *bec* rostri nomẽ Germanicum esse scribit, usitatum fortè Germanis inferioribus.

Eglecopela Columbinam (*argillam* vel *margam*) Gallia suo nomine *eglocopalam* appellat, glebis excitatur lapidum modo: sole & gelatione ita solvitur, ut tenuissimas bracteas faciat, Plinius.

Gallia triplex. Gallia est omnis divisa in parteis treis, quarum unam incolunt Belgæ: aliam Aquitani: tertiam; qui ipsorum linguâ Celtæ, nostrâ Galli appellâtur. Hi omnes lingua, institutis, legibus

legibus inter se differunt, C. Iulius Cæsar.

Celtas non solùm Gallos, sed etiam Germanos, à veteribus, præsertim Græcis, communi nomine appellatos, multis testimoniis approbare possem. Herodotus Danubium in Celtis oriri scribit. Celtæ nominati sunt ab authoritate, διὰ τὴν ἐπιφάνειαν, inquit Strabo libro 4. Ipsorum lingua Gelter, quòd multum valebant. Gelten enim est valere: unde & Gelt apud eos pecunia dicitur. Græcis tectiùs per γ Galatas scripserunt, quàm Romani per κ Κέλτας. (*Atqui Celtas etiam Græci scribunt, & nisi fallor antiquius apud eos Celtarum, quàm Galatarum nomen est, ut* Κέλται *sint Celtæ,* Γαλάται *verò Galli.*)

Celtæ unde dicti.

Porrò Galli nomina populorum frequenter in *er* terminant, ut etiamnum Helvetii in usu habent, Gelter/Belger/Trever, &c. Patebat autem tam latè Celtarum nomen, ut non modo Galliam omnem, sed universum Occidentem occupasse affirmet Strabo: à quibus Celtiberi Hispani, & Galatæ populi ad Pontum Euxinum, ad quos S. Paulus scripsit, originem referant: & hodie Portugalli, Henricus Glareanus in suis in C. Iulii Cæsaris Commentarios annotationibus, ex quibus sequentia etiam de vetere lingua Gallica scribere libuit:

Celtarum nomen latissime patens.

Lingua Gallorum multis de causis credi-

De lingua veteri Gallica Hen. Glareani. judicium.

tur ea esse, qua hodie Rhenus utitur, maximeque Helvetii & Sequani Rhenani. Primùm enim constat, C. Cæsarem bello Gallico per interpretem locutum cum Gallis. Deinde eam quidem linguam, qua hodie Francia utitur, Romanam esse, quanquam corruptam, nemini est dubium, quippe adhuc de priscâ linguâ Gallicâ innumeras retinentem dictiones. Non igitur Francicâ linguâ olim Galli locuti sunt, sed aliâ. Verisimilimum autem est, eâ locutos linguâ, qua adhuc ii Galli utuntur, qui Francicè non loquuntur: ut omnes populi circa Rhenum, proximi tamen Rheno, Helvetii, Rauraci, Sequani, Elsatici, Tribocchi, Vangiones, & ferè tota Belgica. Nec mirum hoc videri potest ei, qui considerat populum Romanum suos exercitus frequenter in Gallia habuisse, atque adeò in Galliæ fœcundiore parte: diutiusque pressam, quam nunc Franci inhabitant, Galliæ partem, servitute Romanorum. Rhenus quippe & Germania citiùs à Romanis, quàm Gallia alia defecerunt, ideoque factum est, ut Romani non potuerint suam in Germania ac regionibus Rheni ita celebrem facere ac velut propagare linguam, ut in reliqua Gallia, Hispania, & Italia fecerunt. Neque nihil ad rem facit, quòd Prætores Romani jus non dabant, nisi sua lingua:

& miles Romanus ęgrè cum plebe alia, quàm sua lingua loquebatur. Itaque coacta est misera plebs Romanam discere linguam, sed malè, sed mutilatè, sed ita, ut in ea ubiq; priscæ linguæ vestigia invenias: Latinæ verò sonum in thematis audias, imò priscæ accentus aliquot, voculationem, pronunciationem, præteritorum perfectorum per *habui* periphraseis: articulos item, quos Latina lingua non habet: denique plurima nominum themata, qualia sunt *ignis, pulvinar, arma, civis, lorica, galea, gladius, sæpes, tunica, accipiter, pelvis, pastillus, scamnum, cancer, caper, campana, mamilla, vexillum, calcar, dives, thorax, manipulus, &c.* Et verborum: ut sunt, *dimitto, frico, occido, careo, lacero, &c.* Sed planè ineptus videar, si ea omnia persequi velim, quę justum requirerent volumen. Hinc satis liquet, Helvetiorum linguam ac Rheni verè Gallicam esse: nisi quantum Germani quædam miscuerunt, maximè infra Argentinam. Spiræ enim, Vormatiæ, Moguntiæ, ac in circumjacentibus ea Rheni parte populis mixtus est sermo ex Germanica ac Celtica linguis. Neque enim purè Germanicè, neque purè Celticè loquuntur. Helvetij autem, Rauraci, Sequani Rheno proximi, Brisgoënses ac Elsatici, magna ex parte merè Celticè loquuntur.

A Celtis orti Galatæ, qui usi lingua Treviroram.

Non mirum, igitur quòd scriptum reliquerit divus Hieronymus, Galatas, ad quos scripsit divus Paulus, quiq; à Celtis descenderunt, ut auctor est Livius lib 8. Decados 4. eadem locutos suo tempore lingua, qua Treviri utebantur. Quis autem nescit Treverorum linguã antiquam esse, nec multò à Germanorum lingua diversam? Etsi concedi oportet, quod Strabo ait libro 8. Germaniæ vocabulum Romanorum esse, quam aliam causam fuisse credimus Romanis, quòd eos Germanos appellârint, quàm quòd vel lingua & moribus magnam cum Gallis haberent communionem? Vel, quòd quidam non absurdè argumentantur, ab ipsa inter ipsos appellatione? Fratres enim sese etiamnum hac tempestate in rebus seriis ac bellis vocant. Id Romani sive per se de Germanis resciverint: sive à Gallis didicerint, parum constat: neq; hujus est negotii. Nos enim hîc de Gallorum linguis tractamus, inter quas, ut Cęsar ait, differentia aliqua fuit, ut etiamnum hodie est. Celtæ enim perpetuò habent s, ubi Belgæ t, vt, wasser/watter: groß/grott: das/dat. De Aquitanorum lingua, ut Celticæ & Belgicæ vel conveniat vel discrepet, nihil nobis constat. Existimamus autem, eam totam sublatam, cùm multæ nationes adhuc Celticam habeant, multæ Belgicam. Celti-

Celtarum & Belgarum non nihil differentes linguæ.

cam,

cam, ut diximus, Helvetii, & proximi sub eis ad Rhenum populi: Belgicam ipsi Belgę; qua Rhenum contingunt & Oceanum Germanicum. Quicquid sub Agrippina Colonia Clivenses, Geldrenses, Brabanti, Flandri, Iuliacenses, Holandri, Selandi: & in Germania Vuestphali & Saxones aliqua parte. Nihil tamen impedit, quin communi appellatione eadem ac una nominetur: quanquam non usque quaque eadem, sed paululùm variata: id quod in Græca lingua quoque accidit.

Helvetiorum lingua verè Gallica.

Porrò id non est parvum argumentum, Helvetiorum linguam verè esse Gallicam, quòd Latini auctores multa Gallicæ linguæ vocabula recensent, quæ etiamnum in Helvetiorum sunt lingua: quanquam à Romanis scriptoribus partim malè scripta, partim malè percepta: utpote quæ, quòd barbara non magnopere curarent, obiter duntaxat in operibus recenserent. Quæ tamen ipsa nobis argumento sunt, Gallicam linguam in aliqua apud eos fuisse existimatione. Itaque Cæsar Gallorum propria, & maximè Helvetiorum nomina mirè torsit, omissis sæpè ac mutatis literis aliquot, ut Latinæ declinationi apta fierent, de quib. paulò pòst dicturi sumus. Idem Plinius fecit, qui Gallus fuit, ex ipsa adeò Gallia Cisalpina, ut Romani lo-

quuntur, natus, quem noſtram ſciſſe linguam non eſt dubium, ac eam magni feciſſe: quippe quá in tam nobile De natura opus toties inſerere voluerit. Ea tamen verba temporum injuriâ adhuc magis depravata apud eum leguntur, nemine de ea lingua ab mille annis curante. Ita lib. 18. cap. 18. aratra rotulis inſtructa Gallicum inventum Pflůgrat recte nominavit: ubi tamen codices *Plummarat*, alii *Planarat* habent: quidam in planetas, ut ſe prorſus ineptos oſtenderent, mutarunt. Apud eundem lib. 3. cap. 16. *Bodincum* Padum Gallica lingua á Liguribus dictum ait, quod ſignificet fundo carentem: & *Bodincomagum* oppidum eodem tractatu eſſe: Helvetiorum lingua vocat Bodenmangel. Padum item à picea arbore, quam Galli ita vocent, nominatum, (*quod & M. Porcius Cato teſtatur.*) Pádh vult dicere, quod adhuc manet in noſtra lingua. Ita apud Suetonium in Galba, præpinguis Gallicè *Galb* intelligitur, ſed *vitulus* potiùs. Nam ita præpinguem ac obeſum hominem per jocum vitulum vocamus. Et *Beco* roſtrum apud eundem in Vitellio adhuc habent Belgæ noſtra ætate in ſua lingua: & Helvetii verbum inde Becken, vel Bicken/ id eſt, *roſtro ferire*. Multa his ſimilia enumerat D. Ægidius Tſchudus, V. C. apud Helvetios, in libro de Rhætiæ antiquitate

tate & tractu Alpinarum gentium. Porrò Francorum hodierna lingua ex duabus linguis est: ex prisca Celtica & Romana; in qua Romana tamen, quod ad themata attinet, dominatur.

Non est dubium (inquit idem Glareanus) omnia nomina Gallica, quæ Cæsar in x terminat, apud Helvetios in χ literam Græcam scripta fuisse. Vtebantur enim literis Græcis; quibus linguam suam Gallicam: non autem Græcam scribebant. Itaque cùm lingua Latina nullum nomen in ch habeat, & omnino Cæsari ea nomina in formam Latinam reducenda erant, aliquando deflexit ad x literam proximam figura ad χ, ut tertiæ declinationi apta fierent: aliquando ad c, vel g, ut in secundam declinationem venirent. Itaque ex Ὀργέντριχ fecit *Orgentorix*: ex *Castrich*, *Castigus*. Rursus ex Φεργώβρετς fecit Cæsar *Vergobretum*: ex Αἴμριξ, *Ambiorix*: ex Κάλλμαντελ, *Catamanteles*: ex Θάμριχ, *Dumnorix*: ex Λούτεριχ, *Litavicum*: denique ex Germanico Ernst/ *Ernestum*: quod nomen postea corruptum est in *Arionistum*, ac rursus dein in *Arioνistum*. (Aventinus interpretatur Arioνistum, Erenveſt: Arionistum verò Ernst: Arionardum, Erhard: Arionoldum Arnol vel Erenhold, &c.

Galli usi literis Græcis.

Gallica corruptißima nomina apud Plinium.

Et rursus alibi, Plinius ingens antiquitatis amator, mirè Gallicam linguam suspexisse videtur : nempe qua olim major Occidentis pars locuta est: præterea tota Gallia Cisalpina; in qua ipse natus erat. Sed Dii boni, quàm corruptè apud eum leguntur nomina; ut aut Delio natatore, aut Oedipo aliquo conjectore sæpe opus fuerit, qui ea expiscari volet.

Belgæ orti a Germanis.

Illud pauciſsimis eruditis notum, inquit Ioh. Aventinus, quod referunt ipsi Galli apud Julium Cæsarem, Belgas esse ortos à Germanis, & Rhenum antiquitùs traductos propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse. Scribit Cor. Tacitus, Treviros circâ adfectionem (*affectationem*) Germanicæ originis, ultro ambitiosos esse, tanquam per hanc gloriam sanguinis à similitudine & inertiâ Gallorum separentur. Fama quoque constantissima & vulgatissima est, Treviros primos esse Germanos, nimirum in Gallia Belgica, conditos paulò post diluvium, quo totum genus mortalium periit. Nostro ævo Belgæ ferè omnes, non solùm Treviri, bona pars Celtarum, institutis, linguâ, moribus Germani sunt, Germanis parent, Germani vocantur: Quatuor potentissimi Electores Germani principes in Belgica & Celtica habitant.

Itemque Treviri.

Impe-

Imperator Germaniæ inungitur & coronatur apud Belgas. Si Galli sunt, nesciunt. Si Gallos dixeris, indignantur. Maxima pars imperii Germanici intra Gallias est. Franci, Burgundiones, Nordmanni, qui cæteras Galliæ partes obtinent, oriundi ex Germanis sunt. Ex Germania profecti, expulerunt Galliis Romanos.

De Gallis & Celtis judicium Aventini.

Rursus, Celtas & Gallos Veterib. eosdem esse Germanis, & veterem Gallicam linguam Germanicam, ex ejusdem Io. Aventini Annalib. Bojorum, manifestè patet: cujus hæc sunt verba: Prisci Annalium scriptores, sicut Ephorus & Strabo, graves inprimis auctores tradũt, Omneis populos subjectos Aquiloni Scythas: occiduo verò Soli, tum Gallos Galatâsve, tum Celtas aut Celtoscythas in communi cognominaverunt. Quamobrem in Annalibus ferè, apud eos præcipuè scriptores, qui ante Romanos Imperatores vixerunt, Germani haud aliter, quàm Celtæ & Galli Galatæve appellantur. Aristoteles lib. 2. Meteorologicôn, Celtis Istrũ, qui Germanorum est, attribuit. Diodorus Siculus in libro 6. regionem inter Rhenum, Danubium, Scythiæ conterminam, ubi & Hercynium jugum est, Galatiam magnam, uti Ptolomæus magnam Germaniam nuncupat. Teutonas, Cimbros, Bojos, haud

dubiè Germaniæ gentes, Saluſtius, T. Liuius, Cor. Tacitus, Feſtus, Gallos: Appianus Alexandrinus Celtas nominat. Sextus quoque Ruffus, vir conſularis, qui ad Valentinianum Imp. ſcripſit, non aliter, quàm Gallos, Germanos vocare ſolet. Gallos quoque, qui Romam incenderunt, Delphicum templum ſpoliârũt, in Aſiam profecti ſunt, Teutonas Germanosque fuiſſe, auctores habeo Diodorum Siculum, Appianum Alexandrinum, divum Hieronymum, Gotofridum Viterbienſem: quemadmodum & vernaculis apud nos Annalibus proditur, & carminibus antiquis celebramus. Compertũ ego habeo Gallicam linguam eam vocari, quæ modo eſt Teutonum. Cato, Plinius, Sextus Ruffus, Feſtus Pompejus, Diodorus Siculus *Padum, Pondincum, Bulgam, Bergomum, Cimbrum, Emporedum, Rhedam, Pyrenen, Cerviſiam*, docent Gallica eſſe vocabula: & valere; *piceam, fundum, ſaccum ſcorteum, montanam urbem, latronem (vel pugnacem) equorum domitorem, currum* ſive *rotam, combuſtum potum ex hordeo*. His omnibus vocabulis Teutones adhuc utuntur, ipſiſque valent quemadmodum ab illis refertur ſcriptoribus. Adde, quòd omnia nomina propria populorum, regum, ducum, quos auctores rerum Gallos ſecuti ſunt, Germanica Teutonicaque ſunt, & adhuc

adhuc usurpantur : sicuti, *Sigovesus*, *Bellovesus*, *Lutharius*, *Viridomarus*, *Britomarus*, *Brennus*, *Thessalonus*, *Tectosaces*, *Trocini*, de quibus abunde suprà initiò explanavimus.

Judicium Stabii & Celtis.

Libet docere, quòd perquàm paucis esse cognitum animadverto, Ioannem Stabium, Conradum Celtem, vates undecunque doctissimos, quos ob eruditionem Imp. Maximilianus Cæsar Augustus in aulam ultrò accivit, in ea esse opinione, quam referam: Quemadmodum Belgæ, pars Celtarum, adhuc Germanicè loquuntur, ita cæteros Gallos non aliâ linguâ quàm Teutonum & Alemanorũ, uti vocant, esse usos. Hujus rei hęc maxima habent documenta, quòd Strabo Germanos, quasi legitimos fratres cognatosque Gallorũ legibus, moribus, linguâ interpretetur. Quòd etiam Iulius Cæsar narret, se per interpretem colloqui Gallis solitum: Ariovistum verò, regem Germaniæ, usum absque interprete esse Gallicâ linguâ.

Gallia tres partes.

Nostrates insuper Historici in treis dividũt partes Galliam, Romanam, Teutonam, & Gallogræcam. Narbonensis veriùs Italia est, ait Plinius. Incolæ se Italos etiam nunc esse contendunt.

Celtæ Aquitani ob longinquam servitutem, qua à Romanis oppressi fuerunt, in Romanos ritus transformati, ampliùs propriæ

linguæ memoriam non ſervant : Romanè, corruptiſsimo tamen ſono loquuntur. Teutones, Belgæ & Germani ſunt CisRhenani. Gallograecia Illyricum, Pannonas, Noricum complectitur, quòd proxima fuerit Græciæ. Nec me fugit, quoſdâ aliter ſentire de Gallograecis : ſed ego domeſtica ſequor teſtimonia. Denique philoſophi Gallorum Bardi Druidesque pulſi à Tiberio & Claudio, Imperatoribus Romanis, ex Galliis in Germaniam magnam trans Rhenum, tanquam cognatam & ejuſdem ſermonis gentem, tranſmigrâ:unt. Cæterùm Gallos atque Galatas à candore corporis (*qui in Germanis candidior etiam, quàm in Gallis ſpectatur*) dictos eſſe, quidam literis mandârunt : inter quos eſt & S. Hieronymus in commentariis in Epiſtolam Pauli ad Galatas. Suæ ſententiæ auctores citat Lactantium, Sibyllam, M. Varronem. Idem patrium Galatarum ſermonem eum eſſe affirmat, qui ſit Trevirûm ; quos eſſe Germanos palàm & manifeſtum eſt. Appianus verò Alexandrinus narrat, Germaniæ & finitimis regionibus imperitaſſe quondam tres fratres, Celtem, Gallum ſive Galatam, Illyrium ; qui Celtas, Gallos, Illyrios condiderunt, &c. Illud prætereo non debeo, Gallos pleroſq; ortos eſſe à Germanis. Ita ipſi Galli apud Cæſarem referunt:

Galatarum in Aſia ſermo.

ferunt: & Marcellinus ait, Gallos extractibus transRhenanis oriundos esse: indigenas quidem partem inhabitâsse. Hoc satis quoque constat, quemadmodum post natum Christũ longo tempore Germaniæ conjuncta Gallia fuit, ex Germaniaque ortis regibus paruit: ita ante Christum natum Germanis obedisse principibus: unumque regnum, unum imperium cum Germania fuisse, auctoresſunt Nam & Romani, uti scribit Tacitus & Cæsar Galliam intrârunt vocati à Gallis contra Germanos. Pars Celtarum, Belgæ verò omnes, Burgundiones, Nordomanni, Franci ex Germania migrarunt, in Gallia sedes collocarunt, quas adhuc tenent Germanicisque cognominantur vocabulis.

Beatus Rhenanus, vir historiarum & to- *Iudicium B Rhenani.*
tius antiquitatis cognitione excellens, in annotationibus, quibus Taciti libellum de Germania castigat, cùm Gallis & Germanis communiaquædam quodad corporis animique naturam, retulisset: Mox, Ergo quis (inquit) negabit, Celtas illos vetustissimos Germanis similes, & verè Germanos fuisse? ut planè dubium sit, num sicut Belgicas regiones, id quod Cæsar tradit, ita etiam Celtarum terras olim suis Germani sive Teutones coloniis repleverint. Nam propria re-

gulorum nomina, apud Livium *Lutarius*, *Dorolacus*, *Combolomarus*: apud Cæsarem *Litavicus*, & *Ambactorum* vox pro clientibus, Germanicam etymologiam habent. De Belgarum nominibus minùs mirandum.

De lingua Gallica recentiore.

Latinæ linguæ propagines, sed tempore, & vulgi imperitiâ valdè corruptæ, sunt tres hodie vulgares linguæ, *Italica*, *Hispanica* & *Gallica*: prima minùs, secunda magis, tertia maximè corrupta, hoc est, terminationibus & literis syllabisque mutata & distorta: & insuper vocabulis mixta alienis, ab eo nimirum tempore; quo Gothi non modò regna & regiones vastare, sed etiam linguas imperio suo pervertere cœperunt. Gallica igitur plurima habet Latina: quædam Gothica sive Germanica (nam et Franci, qui cæteris imperant, à Francis Germanis descenderunt,) quædã de sua & vetere Gallica lingua: ut mihi quidem videtur. Dialectis variat non parum. Est enim alia tersior, in parte, quæ privatim Francia dicitur: aliæ crassiores, ut Provincialis, Lotharingica, Burgundica, &c. crassissima Sabaudica & circa Alpes Italiæ confines.

Oratio

Oratio Dominica in Gallicâ linguâ communi & terſiore.

Noſtre pere, qui es ès cieulx, ton nom ſoit ſanctifié. ton regne viene, ta volonté ſoit faicte ainſi en la terre comme au ciel. noſtre pain quotidiain donne nous aujourdhuy. & pardonne nous noz offenſes, ainſi que nous pardonnons à ceulx, qui nous ont offenſé. & ne nous induy point en tentation : mais nous delivre du maling. Car a toy eſt le regne, la puiſſance, la gloire, aux ſiecles de ſiecles, Amen.

Hactenus in Gallicâ linguâ, ut & cæteris plæriſq; omnibus barbaris, metra tantùm ho mœoteleuta (rythmos vulgò vocant) nullâ proſodiæ habitâ ratione condebantur: nunc verò hujus etiam ratio à quibuſdam habetur. Vidimus enim nuper Nicolai de Niſot Cenomani Phaleucium carmen Gallicum, quo Petri Bellonii Avium hiſtoriam Gallicè æditam commendat, hujuſmodi:

Au jourdhui je me vanteray de chanter
Vn vers digne de toy, de chanter vn vers
Non encore receu. je veux raconter
De toy, Pierre Belon, cet heur, ce grãd heur,
Qu' en ton docte labeur le docte Francois,
Qu' en ton docte labeur le ſimple Francois
Recoit continuellement reliſant
Ta feconde lecon, &c.

Galli miteſcere cœperunt poſteaquá provinciales facti ſunt : quia Romani præſidiis externorum militum Gallias ex majori parte tutabantur, operam dantes, ut ipſi provinciales quieti & ocio per voluptates aſſuescerent: quod tam ſeduló factum eſt in Galliis, ut non modò Romanorum mores induerint, ſed etiam linguam acceperint ſua faſtidità, ac nomen: unde Lotharingi (*& Sabandi quóq;*) omnes hodieq; ſe Romanos, ſuamque linguam Romanam, velut à Romanis acceptam, appellant, Beatus Rhenanus.

Cornel. Tacitus in libro de moribus Germanorum Gallicam linguam à Germanica ſeparat, cùm ſcribit, Gothinos Gallicam linguam coarguere non eſſe Germanos : niſi Gallicam linguam cum Glareano pro Helvetica accipias. Beroſus quóque Thuyſcones & Celtas, id eſt, Germanos & Gallos diſtinguit.

¶ GAZARORVM gentes, quæ hodie Abgazari & Abgazelli à Græcis vocantur, nec non Mengrelli & Circaſsi, habitant verſus mare Hyrcanum. Apud has gentes Tartari Savolenſes tela & alia comparant neceſſaria. Et hi omnes ex Sclavorum gente originem ſumpſere : linguaq; utuntur Sclavonica, ac Chriſti fidem ſecundùm ritum Græcum ſequuntur, Bilibaldus Pirckheimerus.

¶ GEOR-

¶ GEORGIANI, vel, ut à Turcis vocantur, juriani, qui non longè ab eo loco habitant, ubi Georgos collocant Geographi, juxta Albanos, lingua Græca utuntur in sacris: vulgaris eorum lingua Tartaricæ & Armenicæ media est.

¶ GEPIDIS in usu est sermo Illyricus. Vide infrà in Hungaris.

¶ DE GERMANORVM lingua, quam aliqui eandem esse veteri Gallicæ suspicantur, jam suprà scripsi, præsertim quod ad vetera nomina propria: item in Anglica nonnihil. Germanorum quidem nomen antiquius esse, quàm Alemanorũ cùm aliâs constat, tum ex Fl. Vopisci Proculo. *Lingua Germanica quibusdam eadem quæ Gallica vetus.*

De Germanica & Helvetica lingua, cui vacat, is libri de alpinis regionibus D. Ægidii Tschudi adeat capita 36. 37. 38. Ioachimus Vadianus de linguæ Germanicæ vetustate in hęc verba scribit: Eos Germaniæ populos, qui ad Oceanum proximè, seu in ipsis insulis maris coluêre, *Vuigeuuones* dictos: qui in Rhenum & Danubium ab Oceano remoti, *Isteuuones*: rursus qui mediterranei essent *Hermiones*, quasi *Hernvones*, appellatos esse auctor est Plinius: apud quem corruptam lectionem summâ diligentiâ Rhenanus restituit. Enimverò Plinio tot annis in Germania militanti, nota fuisse id genus Germanica nomina, vel hoc unum magno argu-

mento est, quòd libro 10. de anseribus, quos Germania gignit, locutus: Candidi, inquit ibi, sed minores, *ganzæ* vocantur. Quæ vox adhuc durat: & anseres nostri vulgò *ganzas* dicunt. Sed proclive nimirum est, tot sæculorum intervallo notatas voces à scribis indoctis & linguarum ignaris corrumpi & depravari. Quos igitur Germana lingua Wigewoner/Wistewoner/Herdwoner/illâ ætate vocavit: Plinius haud dubiè mollius, & ad Romanæ linguæ figuram deflexis vocabulis *Vuigeuones*, *Vuitsteuones*, seu *Isteuones*, & *Herdeuones* dixerit. Neq; caret etymo *Herdmundurorum* (Hermundurorum) vocabulum: ut alia multa vetera; quorum adhuc frequens est usus, Hæc ille.

Gothi. Fuerunt Gothi, qui Germani sunt: quod S. Hieronymus ad Suniam & Fretelam testatur. Quis hoc crederet, inquit, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus, imò contendentibus Græcis, Germania Spiritus sancti eloquia scrutaretur? Ducum quóque, qui in Gothicâ historiâ apud scriptores memorantur, nomina, lingua Germana agnoscit. Et hodie in Taurica Chersonneso multa millia hominum foris Græcâ aut Tartaricâ linguâ, domi Germanâ utuntur. Gothi, aliquot seculis ante inductam Romæ monarchiam,

Getæ.

Tauri à Chersonnesus.

chiam, Mæotidis & Euxini maris litora circumfuderunt, longè in continentem Europæ & Asiæ progressi, armis omnia possederunt, &c. Iacobus Zieglerus.

Ister. Ἴστρος cùm Matóas olim diceretur, quod Græcis est ἄστρον, (fortè ἄϊστρον,) cùm Scythæ aliquando trajicientes damnum accepissent, *Danubium* appellârunt, tanquam *mali authorem*, Eustathius in Dionysium Afrum. Thun quidem vel Thûn Germanis est *facere*, vbel verò *malum*. Scio recentiores quosdam Danubium quasi *Abnobium* ab originis suæ loco dictum conjicere. *Danubius.*

Saxones columnam ligneam sub dio collocatam colebant, quam Irminsul/vel Irmenseul dicebât. Fuit enim vel *hermæ*, id est Mercurii statua: vel commune profugium & omnium asylum, Gyraldus. Herculis quidem columnas etiam in Germania celebratas Tacitus refert. *Herma.*

Audio veteres Romanos *Lunum* quóque Deum coluisse, & appellâsse Ler mon/id est, *dominum Lunum*, quod fortè parum animad vertentes aliqui ad *Hermam*, id est, Mercurium, transtulerunt. Lunæ quidem nomen Germanis masculino tantùm genere profertur, der mon. *Lunum* autem tanquam marem & appellarunt & religiosè coluerunt. (De Luno Deo mare plura cognosces apud Gy- *Lunus.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [73] - 31r
PUBLIC DOMAIN

raldum Syntagmate 12. de Diis.) Hinc & *Hermunduris* fortè populis Germaniæ nomen. Deorum, inquit Tacitus, maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quôq; hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant. Pars Suevorum & Isidi sacrificat. Vnde causa & origo peregrino sacro parum comperit: nisi quòd signum ipsum in modum Liburnæ figuratum, docet advectam religionem, &c. Quærendum, an Isis etiam Luna sit, & illa species liburnæ, non tam navis, quàm aliqua Lunæ crescentis figura.

Hertus. Erat & *Hertus* Germanorum Deus, apud Tacitum, (non *Nertus*, ut codices vulgati habent,) id est, *Terra* vel *Tellus*, genere masc. Ver herd: etsi Tacitus Deam fœminino genere facit. Aventinus terrâ à nutriendo *Nerth* dictam putat.

Vvoda. Legimus, Langobardos proprio & peculiari cognomine Mercurium vocasse *Vuoda*, ut est apud P. Diaconum, Gyraldus. Videtur autem *Vuoda* scriptum pro *goda*, id est, *Deo*. sæpe enim reperio Vu pro g. poni, & contrà: ut cùm *Vidus* vel *Guidus* Guidôve scribitur. *Guarinus* aut *Varinus*: *Vuarda* vel *Guarda*: *Guelphus* vel *Vuelphus*: *Gallus* vel *Vuallus*, vulgò *Vualch*, &c.

Tanfana & similia. *Tanfana* Germanorum Dea fuit, uti scribit Gyral-

Gyraldus, nescio unde dicta. Ab iisdem *Velleda* & *Aurinia* colebantur. *Velleda* sub Vitellio fuit virgo fatidica: nescio unde facto nomine: nisi ita derivare mihi liceat, sicut Aventino, ut sit *Velleda*, quasi *Vilheida*, vel *Vuildheida*, *Veldheida* vel *Vualdheida*. *Heid* enim vel *haid* Germanicis est, ut Aventinus interpretatur, quæ fovet, nutrit, colit, alit: multa inde derivata, ut *Adaleda*, Adelheit/ *Hedonuica*, Heiduuic. Heid quidem nobis etiam rus & agrum significat, unde alimur: ut inde Heiden dicantur Gentiles, quasi rurales & agrestes, id est, externi & alieni à republicâ nostrę religionis: qua ratione & Pagani dicuntur. Sit igitur *Velleda*, vel quæ multum agri & ditionis possidet: vel quæ rure & agris gaudet, &c: vel in fovendi nutriendive officio assidua & diligens Formantur & substantiva nomina multa in eit vel heit: ut Oberkeit/ gütigkeit/ weißheit. Et sic fortè Adelheit dicta fuerit quasi ipsa nobilitas: weißheit/ ipsa sapientia: & inde deflexũ ad formam Latinam nomen, *Vesseda*. Facilè autem fuit ss in ll mutare. Sed hæ meræ sunt conjecturæ: non tamen ad inveniendas plerorumqs propriorum nominum veras significationes prorsus inutiles. Meminit Velledæ lib. 20. Annalium Tacitus his verbis: *Velledæ* virgo nationis Bructeræ latè imperitabat,

vetere apud Germanos more: quo pleraſq; fœminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrantur Deas. Ad hanc non facilè quiſquam admittebatur. Habitabat enim in æditâ turre: & delectus è propinquis conſulta reſponſaq; ut internuncius numinis portabat.

Aurinia.

Porrò *Aurinia* mulier, quæ qualisve fuerit, nemo dum prodidit. Ego *alrunam*, id eſt, magam vel ſagam quandam fuiſſe conjicio. Nam & nomen convenit, & certum eſt alrunis mulieribus magnam olim authoritatem fuiſſe: de quarum magiâ & divinationibus ex ſanguine humano, vel extis inſpectis captivorum, quos ipſæ gladiis occidiſſent, horrenda quædam ſcribit libro 1. Annalium Bojorum Io. Aventinus, *alirunas* nominans. Etymologiâ neſcio: niſi *hellerunas*, id eſt, ſecretò cum inferis & dæmonibus colloquentes interpretari liceat. Runen enim *inſuſurrare*, vel ſecretò & in aurem colloqui Germanis ſonat. Vel *orunas aurunáſve*, id eſt, *auriſuſurras*: quòd fortè murmurantes & ſuſurrantes, nec altiori voce, quàm ſuſurri, in aures fiunt, & cæteris obſcura omnibus, præterquam illi, cui inſuſurratur, ſacra & magica verba ſua proferrent, & quaſi cum dæmonibus ſuſurrarent, eorumq; viciſſim colloquia ipſæ ſolæ acciperent intelligerentq;. Vel *aldrunas*, id eſt, ve-

tulas

tulas murmurantes. Nam canis capillis eas fuisse Aventinus refert. Quid si Druidæ etiam quasi d'runenden, id est, die runenden dicti fuissent? Similiter enim illi magi, & dæmonibus familiares erant. *Alrunæ* cujusdam magæ, quæ Clodomiro, primo Francorum in Germania regi vel primi eorum regis Antenoris patri, ante Christi nativitatem annis 433. vaticinata sit, meminit Sebastianus Munsterus libro 2. Cosmographiæ suæ. Hinc & *mandragoram* hodie *alrunam* vocant, nimirum quòd à magis illis ad suam magiam adhiberetur. Nam quòd ritibus magicis cani alligata erui debeat, adhuc hodie quædam fabulantur: qualia de radice *baaras* Iosephus.

Coluerunt & Teutanem Germani, cui humano sanguine sacrificabant. Quanquam Iulius Cæsar aliter, lib. 6 Belli Gallici, Neque Druides, inquit, habent Germani, qui rebus divinis præsint: neque sacrificiis studeant. Deorum numero eos solùm ducunt, quos cernunt, & quorum apertè opibus juvantur, Solem, Vulcanum, & Lunam: reliquos ne famâ quidem acceperunt. *Teutanes.*

Sueviam continuum montium (Hercynij nemoris) jugum dirimit: ultra quod plurimæ gentes agunt: ex quibus latissimè patet Lygiorum nomen. Ex iis etiam *Naharvali* sunt. (*Lygii Suevorum populi, inquit Altha-*

merus, juxta Marcomannos, & Pannones consederunt, hodie Hungaris adnumerantur. Et mox: Naharvalorum & finitimorum sedes Pomerani aut Hungarorum quidam tenere videntur.) Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus ostenditur: præsidet sacerdos muliebri ornatu, sed Deos interpretatione Romani Castorem Pollucemq; memorant. Ejus numinis nomen Alcis. nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut juvenes venerantur, Cor. Tacit. Althamerus Alcin Deá suspicatur etymo Græco dictam ab *alce*, quod Græcis vim & auxilium significat: cùm Germanos multis etiam aliis Græcanicis vocabulis uti constet, ex quibus multa adnumerat. Ego verò nunquá ab externâ linguâ originem repetiverim verborum, ubi in vernacula reperiri potest. Itaque Alcin non Deam, sed Deos ut Tacit. scribit ab illis vocatos conjecerim, suâ linguâ, id est, Suevicâ Balgen, id est, sanctos. Nam & aspiratio sæpe à Latinis negligitur: & e & g consonantes affinitatem habent.

Alcis, Castor, & Pollux.

Plura de Diis Germanorum in Scholiis Andreæ Althameri in Tacitum leges: & suprà in Anglicæ linguæ mentione verba Bedæ de Dea *Eostre*.

Germanorum, inquit Io. Aventinus lib. 1. Annalium Bojorum, genera sunt quatuor Teutones:

Germani quadruplices juxta Aventinū.

Teutones, Venedi, Cimbri, Vgri. (*Nos ejus verba de Venedis in Illyricæ, de Vgris in Hungaricæ linguæ mentione referemus: hîc de Teutonibus & Cymbris tantùm.*) Hi omnes linguâ, institutis, religione, moribus differunt. Pictos, Hannonios, Luthareos (*id est, Lotharingos*) Burgundiones, Allobroges, Sabaudienses inter Germanósne numeraverim, ambigo: medii sunt inter Celtarũ Germanorumq; imperia: Germanis parẽt Imperatoribus: primi semper in discordia, cujus utrinq; cura.

Teutones. Teutones à Celtis Alemanni: à Venedis Nomades ac Nemetes à jaculando nominantur: ab Vgris Scythulæ sive Scythæ, hoc est, casei ac lactis voraces; quos Græci *tyrophagos* & *galactophagos* nuncupant. Alii in superiores inferioresque dividunt. Cum reliquis omnibus mixtim habitant, ut ambiguum sit, quibusnam adscribas: maximam partem Germaniæ, Galliarum non parvam, Rhetias, Vindelicum non solùm tenent, sed etiam implent. Eorum partes sunt Nervii, Flandri, Aduatici, Holandi, Caninefates, Brabantini, Menapii, Geldrenses, Bathavi, Selandi, Frisii, Saxones, (à quibus originem ducunt, Picti, Angli, qui Britanniam incolunt,) Pomerii, Mechaloburgii, Brandeburgenses, Teutones olim propriè dicti. Borusci, Gotones, & Gutones: Levonii sive Hille-

uiones ſacratis Teutonum parent equitibus,

Ducatuum hæc nomina ſunt, Tungri, Agrippinenſes, Eburones. Ducatus Limburgenſis, Iuliacenſis, Clivenſis, Sicambri, Beſtouali. Præfectura prætoriana Rheni in complures diſſecta principes: Treviri, Veſtria, Mediomatrices, Mogõtini, Vangiones, Borbetomagus, Nemetũ Auguſta Spira. Auguſta Romandorũ Luciloburgiũ, Baſilea Auguſta Rauracorũ, Tribochi, Eliſatii, Argentoratum, Straſſoburgiũ, Argentuaria, Colmaria, Suitones, quos Oedognotes, id eſt, confœderatos, vocamus, Sibenburgenſes, Gepidæ in veteri Dacia, Sileſii, Luſacii. Hi tamen, ut pleriq; alii, Venedis adſcribi poſſunt: bilingues enim ſunt. Luſatiorum terrã quondam Suevi Senones tenuerunt. Auſtriaci, Norici, Stirii, Chariones, Carni, utranque, Venedam & Teutonum linguã, norunt: ut & Tyrollii, Vindelici, Boji, Rheti, Suevi, Engadini, Curii, Frãci, Catti, Heſsi, Bochi, Turogi, Moëſi. Venedi noſtro ſermone, ſuo ſunt Sclavi: bilingues ferè ſunt, in multarum gentium capita diviſi. Cimbrorũ partes ſunt Dani, Scandia, Selandia, Scandiavia: ubi Nordovici & Nordmanni, Suiones qui & Sueſii, & Suedi, Fenni, Gothi, ab his ſinus Codanus nomen habet. Græci Getas, Latini Dacos vocare ſolent. (*Getas à Gothis non diſtinguit, & Danos olim Dacos appel-*

appellatos asserit paulò pòst in Sarmatiæ descriptione. Et alibi: Goti qui Dani, Daci & Getæ sunt, rege Berito egressi ad Danubium migrârunt in eas regiones, quas nostro ævo Vgri. Transdanubiani, Transsylvani, Septemcastrenses, Valachi tenent. Regnatum ibi à Getis et Dacis usq; ad Valentis Augusti annum 14. Hunni tamen eos sedibus avitis ejecerunt. Getæ à Romanis in Thracia collocati sunt, etc. Septemcastrenses audio hodieq; Germanicè loqui, cùm vicinorum sermo circumquaq; Hungaricus sit.) Larvarum ibi ergastula exiliumq; : ipsi *trollos* vocant. Lingua eorum cum Saxonibus communitatem habet. Nam ego ante tres annos cùm hæc proderem, legi epistolam missam à Christierno rege Cimbrorum, ad Vuilhelmum principem nostrum, Saxonum ferè sono perscriptam. Cimbros à tergo claudunt homines sylvestres, quos *Vuildenlapos*, hoc est, veros fatuos, adpellamus, nobilissimarum pelliũ commercio notissimos: conspectus advenarum vitant. Fluminis ulteriore ripâ merces positas, juxta venalia, tollunt, si placeat permutatio. Horum & Tacitus mentionem facit. Quicquid intra Rhenum & Tanaim amnem continetur authores rerum Germaniam vocant: quæ terrarũ Europæ maxima pluribus distinguitur nominibus. Nam & Scythia Getharum q; regio, qua

contingit Pontum, vocabatur: ultra Viſtulam, Orientem verſus, Sarmatia: citra verò & Galatia, & Gallia, & Celtica: eadem etiam nunc Alemannia, Francia, & Teutonica, Hęc Aventinus. Et rurſus, A Scytha Tuiſconis fratre Germani Scythę appellati ſunt: quemadmodum Plinius quóq; in libro quarto Naturalis hiſtoriæ prodidit.

Scythæ.

Tuyſconum regnum vocat Beroſus, quod à Rheno fl. per Sarmatas in Pontum finit. Et addit: Anno ſexto Semiramidis apud Rheni Sarmatas regnavit filius Thuyſconis Mannus. Tempore quinti Babyloniorum regis Babel, regnavit apud Celtas Satron, & apud Thuyſcones Inghaevon. Arii Babyloniorum regis ſexti anno 29. apud Celtas regnavit Dryjus, peritiæ plenus. Aralii ſeptimi regis Babyloniorum apud Thuyſcones regnabat Herminon, vir ferox armis, & apud Celtas Bardus inventione carminum & Muſicæ apud illos inclytus, Hæc Beroſus.

NB.

Apparet autem, omnia hæc nomina propria ad Germanicum ſermonem pertinere: in quo quoniam nihil ferè antiquum publicè extat, pulchrè faceret ſi quis cùm alia ex Veteribus antiqua vocabula, tum imprimis propria locorum hominumque ex antiquis pariter & recentioribus ſcriptoribus colligeret, ac inter ſe compararet, & explica-

rei

ret etymologias: nempe ex Tacito, Cæsare, Marcellino, Cassiodoro, Saxone Grammatico, Vuitichindo, Cranzio, Althamero, Rhenano, Aventino, Stumpfio nostro & aliis. Multa jam annotavit Mart. Lutherus in libello de nominibus propriis Germanicè ædito, dissimulato nomine suo. Oporteret autem nomina primùm ordine literarum digerere, interpretationibus adjectis, & locis auctorum, quæ meminerunt, signatis, ut simul etiam indicis utilitas ex hoc opere in varios authores haberetur. Deinde alium ordinem simpliciter juxta terminationes enumerandis vocabulis instituì, ita ut simul legerentur quæ unius terminationis sunt nempe in *andus*, in *manus*, in *rix*, vel *ricus*, in *baldus*, vel *boldus*, in *precht*, *mar*, *hart* &c. ut aliqua ex parte suprà in vetere linguâ Gallicâ ostendi: & hæc etiam in suo quęque ordine alphabeticâ serie dispositа. Ex his enim ordinibus & de orthographia meliùs judicari posset, & significatio fortè quorundam faciliùs reperiri.

Frameæ, tanquam Germanici vocabuli, Tacitus in libello de moribus Germanorum meminit. Rari inquit, gladiis aut majoribus lanceis utuntur: hastas, vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto & brevi ferro, sed ita acri & ad usum habili, ut eodem telo, pro *Frameæ*

ut ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent; & eques quidem ſcuto frameaq; contentus eſt: pedites & miſſilia ſpargunt. Cæterùm quænam hujus teli forma fuerit, aut quomodo hodie nominetur, non ſatis conſtat. Conjiciunt aliqui ſtilum ferreum, quia eandem vaginam peculiari loculo cum cultellis inſeri ſolet; quem vulgò vocant, ein pfriem/à framea, cujus formam referat (magnitudine tantùm differat) ſic nominari. Solent autem inferiores Germani p. ante f. ab initiis dictionum omittere. Nam pro pfaffo dicunt paffum: ſic *pframea* dictum fuerit *framea*, telum fortè cum capulo & ferro oblongo (brevi tamen ſi ad gladium conferas:) dolo nimirum (vel dolcho ut vulgò vocant) oblongus, non lato, ſed anguſto ferro.

Baritus.

Sunt Germanis, inquit, ibidem Tacitus hęc quóque carmina, quorum relatu, quem *Baritum* vocant, accenduntanimos, futuræque pugnæ fortunàm ipſo cantu augurantur: terrent enim trepidántve, prout ſonuit, acies. Nec tam vocis ille, quàm virtutis concentus videtur, affectatur pręcipuè aſperitas ſoni: & fractum murmur obiectis ad os ſcutis, quo plenior & gravior vox repercuſſu intumeſcat. Marcellinus in deſcriptione pugnæ, quam Iulianus Cæſar habuit cum Alemannis apud Argentoratũ lib. 16. *barritum* r

duplici

duplici nominavit: Cornuti inquit & Brachati usu præliorum diuturno firmati, eos jam gesta terrentes (fortè, *gesturientes*) barritum ciére vel maximum: qui clamor ipso fervore certaminum identidem exoriens, paulatim que adolescens, ritu extollitur fluctuum cantibus (*fortè cautibus*) illisorum. Rhenanus monet, se in codice quodam legisse *barditum*: veluti sit à verbis, quæ Germani wort appellant, tractum vocabulum, nisi inquit debet esse *blarritum*. De cantu Germanorum prælium ineuntium Tacitus etiam libro 20. Vt virorum, inquit, cantu, fœminarum ululatu sonuit acies.

Soliduni vel Solidurii.

Adjatonus rex Sotianorum, qui populus est Celticus (Cæsar *Sontiates* vocat, & in Aquitania collocat) sexcentos circa se habuit electos, ut scribit Nicolaus Damascenus Peripateticus, quo Galatæ sermone patrio, Silodunos nominat: Græcè ἐυχωλιμαίους, hoc est, devotos dixeris. Devovent enim illi se regib. & victuros se & morituros cũ illis: quam ob causam dignitates ab eis accipiunt, & veste victuq; utuntur iisdem: & ad quemvis casum commoriuntur, sive morbo rex, sive in bello, sive aliter intereat: nec quenquam ex illis mortem regi communem ob metum subterfugisse aut detrectâsse fama est, Athenæus libro 6. Hoc quidem C. Cæsar

lib. 3. de bello Gallico (unde Nicolaus fua forte tranſtulit) *non ſolidunos*, ſed *ſolidurios* vocat: quidam tribus ſyllabis *ſoldurios* legũt. *Soldum* autem Germani ſtipendium appellant, & hominem ſtipendium merentẽ Söldner. Poteſt & alia etymologia adferri: Soll verbum *debere* ſignificat, unde & ſtipendii nomen fortè deductũ, tanquam merces militi debita: *duren*, idem quod Latinis *durare*: ut *ſolidurii* ſint, qui debent durare, & caſus omnes fortiter tolerare. Conveniret etiam Latina ratio, tanquam à ſolidè durando impoſito nomine, niſi dictionem Gallicam ſeu Germanicam eſſe conſtaret. Adjatonius (aliâs Adcantuanus) qui ſummam imperii Sontuatum tenebat, cum ſexcentis devotis (eruptionem facere conatus eſt.) Horum hæc eſt conditio, ut omnibus in vita commodis unà cum his fruantur, quorum ſe amicitię dediderint: ſi quid iis per vim accidit, ut eundem caſum unà ferant, aut ſibi mortem conſciſcant. neq; adhuc hominum memoriâ repertus eſt quiſquam, qui eo interfecto, cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret, Cæſar. Eſt apud Helvetios longè antiquiſsimum oppidum, quod *Solidurum* vel *Solodorum* appellant, cui fortaſſe ab hujuſmodi ſoliduriis nomen olim inditum fuerit: neq; enim alia ejus nominis ratio certa eſt: & hodie Helvetiorum reſpub-

licæ

licæ inter se omnes devotæ & fœderibus ferè soliduriis conjunctæ sunt.

Druidarum etiam nomen Germanicum videtur, potiùs quàm Græcum à quercu factum, quam Græci *dryn* appellant: etiamsi Druidas Græcarum literarum fuisse peritos legamus, & Græcas literas in castris Helvetiorum olim inventas constet: & quercum, præcipuè ex ea viscum, in maximo honore à Druidis habitum: ut hodie etiam tum inter amuleta gestatur, tum inter remedia habetur. Truw nostri fidem appellant, & truut hominem ἀξιόπιστον, id est, fide dignũ: ut *druida* idem sit quod πιστὸς vel ἀξιόπιστος. Horum enim cõsiliis populus regebatur, his fidebat, & cùm in sacris, tum in aliis reb. agendis aut intelligendis ab eorum ore pendebat. *Druidæ.*

Proximis sanè seculis, inquit, Beatus Rhenanus, Trutonis & Trutomanni nomen apud majores nostros auditum est. Testimonio sunt veteres donationum & contractuum tabellæ. hincq; heroinarum Germanicarum vocabula *Adeltrudis* & *Gertrudis*. Galli vulgò *trutheman* vocant interpretem, sive à Druidis, quos ut sacerdotes in plerisque regionibus plures unâ linguâ calluisse verisimile est: sive quasi *tütschenman*, id est, Germanum virum, Germanicæ nimirum & Gallicæ suæ linguæ peritum. Sed de *Truto vel Trutomannus.*

Druidis plura etiam suprà in Gallica linguæ veteri scripsimus: & in Germanica in mentione Alrunarum. Berosus apud Celtas olim Dryjum regnasse perhibet, virum peritię plenum: à quo si quis Druidarum nomen deduxerit, esto.

Germanicus sermo, præsertim Saxonicus, affinis Græco.

Sermo Germanicus, præcipuè Saxonum, literarum naturâ & potestate, diphthongorum vi & numero, syllabarum pronunciatione, declamatu, articulis, accentu, ratione loquendi, cæterisque hujusmodi dictionum proprietatibus, maximam habet communitatem, plurimum retinet commercii cum Græcorum lingua, rectiusque literis Græcis (*quàm Latinis*) scribitur. Infinita sunt vocabula, quæ nobis & Græcis idem valent. Io. Aventinus. *Deinde enumeratis multis ejusdem significationis in utraque lingua vocabulis: demum subjungit*: Qui diligentior fuerit & doctior, plura conquisiverit. Vir doctissimus, Io. Camerarius à Dalburgio, Vangionum pontifex, aliquot millia dictionum collegit, quæ utraque lingua, Græca & Teutonica, idem significant: Hæc ille. Andr. Althamerus etiam, & alii quidam, vocabula Germanis & Græcis communia quędam annotarunt: sed omnium copiosissimè Sigismundus Gelenius noster in Lexico suo symphono; in quo ex quatuor linguis, Latinâ,

Græ-

Græcâ, Germanicâ, Illyricâ, partim omnium, partim trium, partim duarum vocabula inter se comparat, dextrè sanè & eruditè. Sunt qui Hebraicæ etiam originis plurima in lingua nostra observarunt.

Tuisco conditor Germanorum & Sarmatarum celebratur: quem Majores nostri uti nuncium ac interprètem Deorum venerati sunt. Vnde verbum tuitschen nobis est interpretari. Tradunt quidam, Tuisconem literas quoq; inveniisse. Roxolani adhuc propriis utuntur literis, non omnino disimilibus Græcis: Venedi quoque, qui Dalmatiam Liburniamque incolunt: quæ gentes omnes genere Germani sunt, & ex Germaniâ velut officinâ gentium prodierunt. Servatur Reginoburgii in templo divi Haimerani vetustissimum diploma à Carolo Magno datum, Latino quidem sermone, aliis tamen literarum figuris scriptum: Longobardas quidam, alii Geticas arbitrantur: perquàm similes Græcis sunt. Monumenta & tumulos quosdam literis Græcis inscriptos in confinio Germaniæ Rhætiæque extare lego apud Tacitum. *Tuisco.*

Maxima in nostra lingua facta est mutatio, adeò ut ea, quæ olim fuerit, ægrè etiam peritus intelligat, inquit Aventinus. Neque id mirum cùm propter bellorum injurias, &

populorum migrationes: tum propter literarum & historiarum cultum neglectum. Nulla, inquit idem, in Germania gens est, præter Frisios, Nariscos (*populi sunt Bojoariæ; quorum regio vulgò Norca vel Nordge, id est, Aquilonaris terra, vocatur*) Francos; quæ vel vetera cognomina, vel veteres suas sedes obtineat: quod à perquàm paucis animadverti, non vehementer mirari non possum. Idem in libro 1. Annalium Bojorum nominum propriorum vim explicans, non vulgariter linguam nostram illustrat, & orthographiæ rationem aperit cùm aliàs, tum peculiariter circa principia literarum; quarum ordinem sequitur: unde ego nisi brevitati studerem, pleraq; huc transcripsissem.

Apud eundem legitur, post Friderici II. fata demum Germaniam suum sermonem literis Latinis depingere didicisse. Conjecerim autem priùs vel Græcas vel Gothicas literas in usu Germanis fuisse.

Carolus M. nationum subditarum jura literis mandavit.

Carolus Magnus ut Eginhartus ipsius alumnus & scriba tradit, omnium nationum, quæ sub ejus ditione erant, jura, quæ scripta non erant, describere ac literis mandari fecit. Inchoavit & Grammaticam patrii sermonis. Mensibus etiam juxta patriam linguam nomina imposuit: quum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barba-

ris no-

ris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim nominibus propriis insignivit: quum priùs non ampliùs quàm vix quatuor ventorum vocabula inveniri possent. Mensium quidem januarium appellavit Winthermonet/Februarium Hornung / Martium Lenzmonet/ Aprilem Ostermonet / Majum Wunnemonat / Iunium Brachmonet / julium Heuwmonet / Augustum Aernmonet/Septembrem Herbstmonat/Octobrem Wynmonet / Decembrem Heiligmonet. Ventis verò hoc modo nomina imposuit, ut Subsolanum vocaret Ostrenwind / Eurum Ostsundren / Euro-austrum Sundostren/ Austro-africum Sundwestren / Africum Westsundren/Zephyrum Westren/Corum Westnordren / Circium Nordwestren / Septentrionem Nordren / Aquilonem Nordostren/Vulturnum Ostnordren.

Menses insignivit nominibus vernaculis

Itemque ventos.

Vuasthaldus res Francorum, qui in Germania Franci vocantur, descripsit patrio sermone, literis usus, uti refert Hunibaldus, per quàm similibus characteribus Græcis, nisi quòd epsilón & ypsilón & gamma inversa videntur. Et Trittemius auctor est, julium Cæsarem in castris Helvetiorum repertos characteres Græcos prodidisse.

Vuasthaldus vernaculè descripsit res Francorum

Caricam linguam brevissimá esse, ideoq;

præ cæteris barbaram aliqui tradiderunt: quibus tamen non assentitur Strabo. Mihi quidem vocabulorum brevitas pronunciationem exasperare videtur, cùm sequentia intervalla & quasi hiatus relinquat; idque eo magis, si in consonantes terminentur: quod in sermone Germanico contingit utrunque. Nam & monosyllabis dictionibus abundat; & iis in consonantes exeuntibus. Quare & prolatu asperior, & condendo carmini inepta est. Nam & cæsuræ minùs fieri possunt, & pleræque syllabæ vel aliâs vel positione longæ fiunt. Metra & homœoteleuta multi scribunt, ut pleriq; omnes (puto) populi, Latinis, Græcis & Hebræis exceptis: carmina in quibus syllabarum quantitas observetur, nemo. Nos aliquando id conati sumus, sed parum feliciter, hisce versibus hexametris:

Germanica lingua monosyllabis abundans.

Es macht alleinig der glaub die gleubige sälig/
Vnd darzů fruchtbar zur lieb': vnd gůtige hertzen
Allwäg inn menschen schafft er: kein müsse by jm ist/
Vnd kein nachlassen nienen: er würcket in allen
Rechtgschaffnen gmůten alls güts vñ übige freünd schafft.
Doch schrybt er nichts sim̃ selber zů: sunder er eignet

Dem

Dem Herrē Gott vñ ſiner gnad alle die eere/
Durch Jeſum Chriſtum/ Gott vnd menſch/
vnſeren Herren.

In omnibus hiſce verſibus pedes omnes ſpondæi ſunt, quinto excepto dactylo. Neq; fieri facilè aut commodè poſſe opinor, ut alibi etiam, niſi fortè primo loco, dactylus collocetur. Admittenda & licentia quædam foret præter vulgarem loquendi uſum, non minùs, ſed ampliùs fortè quàm Græcis & Latinis. Noſtræ quidem linguæ aſperitatem conſonantium etiam in eadem dictione multitudo auget, quæ nullo ſæpè vocalium interventu emollitur.

Oratio Dominica verſibus Hexametris à nobis expreſſa.

O Vatter vnſer/ der du dyn ewige wonung
Erhöchſt inn himlen: dyn namen werd: geheilget:
Zůkum̃ vns dyn rych: dyn will der thůe beſchähen/
Vff erd/ als in himelen. Vnſere täglich narung/ Heer/ gibe vns hüt: vnnd verzych vns vnſere ſchulde/
Wie wir verzychend jedem/ der bleidigen vns thůt.
Für vns in kein verſůchnuß yn (hilff one dynen.)

Sunder vom bösen erlöß vns / gnädiger Heer Gott.

Eadem Hendecasyllabis reddita; qui versus linguæ Germanicæ aptiores videntur:

Heer Gott Vatter in himmlen ewig einig:
Dyn nam werde geheiliget/geëret:
Dyn rych komme genädigklich/ begär ich:
Dyn wyll thüe beschähen vff der erden /
Wie inn himmelen vndren heiligen Englen:
Vnser' tägliche † rarig vns gib hütte:
Verzych vnsere schulden vns / wie auch wir
Verzyhend schuldneren vnseren hy vns hie.
Verſüchnuß sye wyt von vns/o Heere.
Löß vns gnädiger Heer von allem übel.

Nota. † pro narung. pro. propter carmen.

Dacorum & Getarũ sermo idem

Dacorum & Getarum sermo est, Strabo libro 7. Fr. Alunnus in fine libri, quem inscripsit *divitias* vel *thesaurum linguæ Italicæ*; voces cum aliarum linguarum Italicis affines: tum etiam Gothicæ enumerat; quarum pleræque cum Germanicis nostris conveniunt: ut sunt Angil/ Angelus: hermelin/ mustela: band/ vinculum: baner/ vexillũ: banck/ scamnum: bichier / poculum: clar / clarum: danza/ tripudiare: lot semuncia: nunna / monialis: monk/ monachus: scip/ navis: spyß/ cibus: tascha/ pera, &c.

Gothica lingua.

Oratio

Oratio Dominica in linguâ Germaniâ communi vel Helveticâ.

Vatter vnſer (vel potiùs, Vnſer Vatter/ *adjectiva enim ſemper præponimus ſi nihil intercedat*) der du biſt inn hiñlen: geheiliget werde dñn nam: zükuñe vns dñn rych: dñn will geſchähe wie iñ hiñel/ alſo auch vff erden: gib vns hütt vnſer täglich brot: vnd vergib vns vnſere ſchuldē/ wie auch wir vergäben vnſeren ſchuldneren: vnd für vns nit inn verſüchnuß/ ſunder erlöß vns von dem böſen/ Amen.

Nota. Vide Stumpfium in Chronicis p. 316. b. item p. 340 b.

Huic & Suevica in pleriſque ſimilis eſt, niſi quod pro u. vocali longâ, profert au &: pro i longo (quod nos duplicatum ſcripſimus ij. aliqui y ſcribũt) enunciat ei: & pro diphthongo ei, habet aliquando ai: pro ũ verò eu: pro a in verborum infinitivis ponit ä. in quibuſdam contrà. Verba quædam pleniùs effert, ubi nos conſonante aliqua vel ſyllaba abjecta ſyncopen facimus cùm alibi, tum in plurali numero: & in iiſdem, ubi Helvetii d vel t addunt, ipſi omittunt. Verbum *habeo* aliter formant. Aphæreſes quaſdam faciunt, ubi nos plenè proferimus: & pauca quædam vocabula prorſus à nobis diverſa habent, cùm alia, tum rerum præſertim ſubſtantiva, ut animalium quorundam, ſtirpium, &c. in

quibus & aliæ linguæ utcunque affines multùm differre ſolent.

Vulgus etiam noſtrum ſæpè ch profert: ubi alii plerique omnes k/ ab initio præſertim dictionum, ut chranck/ pro kranck: chrut/ pro krut. ſcribendo tamen, ut & alia quędam linguæ noſtrę vitia, emendamus, ut in omnibus linguis fieri ſolet. Commune eſt Germanis articulorum quorundam aliquando finales tantùm literas vel initiales proferre, ut ſhanſen/ ſhuß/ dfrow im huß: ubi ſcribimus, des hanſen/ das huß/ die frow/ in dem huß/ ꝛc. In præteritis, quæ ge augmento præpoſito fiunt, noſtri ſæpiùs vel e vocalem tantùm, vel augmentum totum omittunt, geſſen/ gangen/ pro geeſſen/ gegangen/ ꝛc. Solemus etiam gg ſcribere & proferre, ubi alii ck. ut mugg/ pro muck: egg/ pro eck. & vulgus mir/ pro wir. item ch/ ubi alii qu/ chechſilber/ pro queckſilber.

Helvetica, & partim etiam Rauracis Sequanis Belgisq; uſitata.

Mul.
Wyn.
Heilig.
Lüt/ Lüten.
Stan.
Lan.

Suevis & aliis quibuſdã Germanis uſitata.

Maul.
Wein.
Hailig.
Leut/ deuten.
Steen vel ſtẽn.
Laſſen.
Trägen.

Trägen/sägen. treit/ seit.	Tragen/sagen. tragt/ sagt.
Wēd/wilt/wott/sott. gist/kan/lan/	Wellē/wilt/wolt/solt gibst/kōmen/laßen.
Ich han/du hast. wir hēd. wir hend ghā han. häb.	Ich hab/du habst. wir haben. wir haben ghabt. haben. hab. vel halt.
Ich läb/ od ich läben/ indifferenter.	Ich läb.

Hinab/hinuff.	Nab/nauff.
Herab.	Rab.
Her.	Herr.
Gsyn.	Gwäsen.
Oepfel.	Apfel.
Spülen.	Brinnen.
Chrye.	Kran.
Kilch vel Chilch.	Kirch.
Trüsch.	Rugget.
Brüntzel.	Bruntz/harn.
Kleider.	Häß.
Losen.	Horchen.
Nüt.	Nichts.
Ancken.	Schmaltz/butter.
Nun.	Nummen.

Bavarorum lingua Suevicæ similis est, sed etiam crassior, ut audio: crassissima in Austria, vel aliqua ejus parte. Frow pronunciant fraw: heuw/hauw/ &c.

Bavarica lingua similis Suevica.

Brabantica inter Belgicas elegantior.

Brabantica lingua inter cæteras Belgicas sive inferioris Germaniæ circa Rhenum & ad Oceani litora sitarum regionum, elegantior hodie habetur, propter Lovanium metropolim, in qua literarum studia florent, & Bruxellas primariam Imperatoris (*nunc Archiducum Austriæ*) aulam.

Oratio Dominica in lingua Flandrica: quæ perparum differt ab illa, qua Brabanti, Hollandi, Zelandi, Frisii, & alii inferioris Germaniæ populi utuntur.

Onse (oder ũũse) vader / die ghy syt in den hemel: gheheelicht worde dyn (oder ũuwe) name: toe komme ũũs dyn rycke: dyn wille geschie vp erde / ghelyck in den hemel. ũũser dagh helicks brood gheff ũũs huydē. ende verghef ũũs ũũse schũlden / ghelyk wy verghenen ũũse schũldenaren. ende leet (oder brinckt) ũũs niet in becooringhe. maer verlost ũũs von den quaden / (oder booſen.) Amen.

Brabantica affinis Frisica occidentalis.

Frisii quondam planè peculiari, durâ & multùm à vicinis distante dialecto usi sunt: qua contractus omnes & negotia transigere & describere solebant. Hodie autem occidentales Frisii, in civitatibus præcipuè, ad

Bra-

Brabanticum & Holandicum ſermonem proximè accedunt, cùm propter Hollandorum negotiatorũ commercia, tum quòd Cęſar (hodie *Archiduces Auſtriæ*) ibi principatum obtinentes, in ſumma eorum Curia Brabantos plerunque conſtituunt, qui ſuâ linguâ & jus dicunt, & res controverſas contractusq; omnes plebi conſcribunt.

Vocabula, quib. Friſii occidentales à Brabantis vulgò differunt, in oratione Dominicâ.

Vus	Noſter	Jũe	Hodie.
Vaar	Pater.	Himmel	Cœlum.

Brã/vel brẽ/panis. pronunciant autem ã vel ẽ/tanquam e obſcurum: ut nos in nominibus Brẽm/Krẽmer. Nam ã alium nobis ſonum habet, quem apud Græcos αι ut χαίρω. lãben/klãben. in quibus verbis ſyllabæ ultimæ e breve habẽt: quod ubi longum eſt duplicare ſolemus, ut See/Klee/:c.

Jrde	Terra	Tãglich	Quoti
Veriou/Ou ſonat, ut Latinis au.	Ignoſce.	Schieldẽ	dianũ. Debita

Sonen vel ſunen/ Peccata. ſic ut prima vocalis medio inter o & u ſono pronuncietur.

Quãd Malum.

Saxonicæ affinis Frisiaco orientalis.

Orientales autem Frisii ad Saxonum linguam proximè accedunt, nisi quòd plerunque t proferunt: quamvis idem & Saxones quidam faciunt.

Belgicæ affinis Gallicæ.

Belgæ Germani, qui Gallis viciniores sunt, multa admixta Gallica vocabula usurpant.

Oratio Dominica in linguâ Islandicâ, quam puto eandem aut proximam esse Gothorum linguæ in Scandinavia, de qua & paulò antè diximus.

Bæder vor / sun ert ai himmum: helgizt bitt namb ti:komi titt ríke: verdi tinn vile/ suoms ai himme / so ai podu:burd vort dagligt geb tu oß i dag: og bergeb oß skulldenvorn / suo sem ui bergebun skulldun vorn: ant leid oß e ki breisti ni. helldur brelsa tu oß ber illu. tatz sic.

Germanicæ scribendæ & proferendæ ratio varia

De scribendi proferendiq; diversitate in aliis quibusdam Germaniæ regionibus: ut in Germanico quodam libro Fabiani Franci annotatum reperi.

Germani quidam efferunt & scribunt pro a: e pro i: & pro y. Dicunt enim Franci sua

ci suâ linguâ Ko sog mer wos est dos. ubi nos dicimus, Ja sag mir was ist das. Prok sequenter Bavari ponunt tsth: ut Tsthristel ißt ein gůts tstreutlin. ubi nos Kristophel ißt ein gůt kreutlin/ꝛc.

Slesiorum quidam u pro a ponunt: i pro ü/& ö: ut cùm dicunt, Ju Rimische minche mygen/ꝛc. quod nobis sonat, Ja Römische münche mögen.

Sunt qui iu pro u vel ů utantur: ut, giuder Briuder / pro gůter Brůder: & eau pro au. (veleaw / pro aw) ut treawen / beawen / teawben / pro trawen / bawen / tauben.

Veterum quidam scripserunt, Den irbirn weisin/erenlibin /ꝛc. pro Den erbarn weisen/ jhren lieben/ꝛc. i scilicet ponentes pro e & a/& rursus e pro i.

Misenus öy pro ag ponit, ut Slesius ay. Itaque pro communi sermone, Die magt sagt. wagen. nages: Misenus dicit, Die möyt söyt. wöyn. nöyl: Slesius verò, Die mayt sayt wayn. nayl.

Multi duriores consonas ab initio dictionum maximè pro mollioribus ponunt, vel contrà: nempe v vel b pro w: p pro b: t pro d. & contrà d pro t. ut, Venzel bil piten tas Domas fom fater. Fil/Migel/Nigel. pro Wenzel wil bitten das Thomas vom vatter. Vil/Michel/Nickel.

Reperimus etiam ante annos centum & circiter, circa annum nimirũ Domini 1440. literam ȝ ſcriptam fuiſſe pro ſ & b pro v & lb pro w/ ut, Vnzern grutz/erzam vndlbeiſſen/ꝛc, item v pro f quoties l vel r/proximè ſequitur: ut vleiß/vruntlich. quorum prius apud Sleſios, alterum apud inferiores Germanos adhuc uſitatum eſt.

Franci, & qui circa Nigram ſylvam habitant, m pro w. aliquando, & k. pro i. ut diximus, accipiunt ſcribendo proferendoq; : & eorum vicini b pro w. Vt, Ko mir bollen ken S. Tſthriſtels kilchen gan. pro, Ja wir wöllen gen S. Chriſtophels kirchen ghan. Helvetii quoque l pro r/ut kilchen pro kirchen/ dicunt, & mir pro wir. Hucuſq; Fabianus Francus.

Germanica Latinis characteribus primũ conſcripta à Carolo Magno.

Carolus Magnus (ut Iohan. Stumpfius in Chronicis Helvetiorum refert) Germanicam linguam characteribus Latinis primus conſcripſit. Sed adeò imperfecta circa hoc tempus Germanicæ linguæ ſcriptura fuit, ut aliquot etiam pòſt ſeculis contractus, & cauſæ forenſes omnes, & inſtrumenta, ut privilegia Cæſarum, &c. Latinè ſcriberentur: ita ut circa annum DOMINI milleſimum ducenteſimum demum Germanici ſermonis ſcribendi ac ſtyli ratio in uſum publicè ſit recepta. Quàm verò imperfecta olim Germanica lit-

ea literatura fuerit, vel ex Notgeri Sangallensis, qui claruit circa annum Domini octingentesimum septuagesimum scripto quodam apparet, in quo etiam Oratio Dominica & Symbolum fidei, his verbis exprimuntur:

Oratio Dominica Germanicè scripta in Helvetiis, anno Domini 870.

Oratio Dominica in lingua Germ.

o pro e k pro g, sk pro sch, &c. e & o aliquando in fine abundant. no vel on vel au pro û. c pro k.

Fater i'nser / Du in himmele biſt: Din namo werde geheiligot: Din riche chome: din willo geſkehe in erdo alſo in himele. Vnſer tagolicha brot kib vns hinto: unde vnſere ſculde belaz iins / als auch wir belaſſend vnſeren ſculdigen. vnd in cherunga nit leiteſt du vnſich. Nun beloſe vnſich fone vbele.

Symbolum fidei, eodem tempore et ibidem ſcriptum.

Symbolum Apoſtlicũ.

Ich keloubo an Got allmachtigen fater / ſkefen himeles vnnd erdo. Vnnd an ſinen ſon Jeſum Chriſtum einigun / vnſern herren / der vonne demo heiligen geiſte inſangen uuart / vanne Maria der magede geboren uuart. Kenothaftot uuart pi Pontio Pilato: vnde bi imo an cruce g'ſtachtet ir ſtarb: vnde begraben uuart: ze helle fuor: an demo dritten tage vone tode erſtuont: ze himele fuor: Da ſitzet

Ze Gotes zesunne des almachtigen fater. Danna kunfftiger ze irteilene/ die er Danne findet lebende alde tote. Keloubo an den heiligen geist. Keloubo heiliga die allelichun gesamenunga. Keloubo zehabenne der heiligun gmeinsame. Keloubo belaßung vnser sunde. Keloubo deß fleisches vrstende. Keloubo euuigen lib. Amen. Das thuon ich Keunaro/ &c.

Psalterium Davidis.

Audio, & Psalterium sacrum similiter translatum eo tempore, extare in cœnobio D. Galli. Videtur autem hic sermo, quo orationem Dominicam & Symbolum fidei jam recitavimus, ad inferioris Germaniæ sermonem propè accedere: tum vocabulis (nam & cooring he illis tentatio est, & leiden vel leeten *ducere*, &c.) tum scribendi ratione. Et ferè quæcunque vetera Germanicè scripta apud nos etiam reperiuntur, inferioris Germaniæ dialectum præ se ferunt: à qua Islandicâ quóque minùs differt, quàm ab aliis pleriſque Germaniæ dialectis. Non habent illi (Germani inferiores, & Septentrionales & Saxones) tam frequentes diphthongos ei. & au pro i & u longis, quibus Suevi, Bavari & alii plerique Germani abundant, adeò ut inepti quidam etiam Latinè veinum & ausum p vino & usu dicere audeant. Helvetii etiam plerique similiter illas non habent, à Septentrionalibus scilicet Germanis,

nis, Gothis & Suedis oriundi; quorum sermonem & pronunciationem etiam in aliis quibusdam imitantur. Crassissima ferè dialectus Bojorum seu Bavarorum vulgi existimatur: optima circa Misenam, ut audio. Inter nostri temporis scriptores M. Lutheri stylum multi laudant. nam ex veteribus pauciſſima & breviſſima quædam scripta extant: nec ulla, quod ad stylum, laudantur, quod sciam. Cantilenis ferè comprehendebant & celebrabant veteres Germani, quæ memoriæ tradere volebant: sed hæ etiam omnes puto injuriâ temporum & incuriâ hominum in oblivionem abierunt. Apud nos quidem nullum est vetustius carmen, quàm quod Theoderici Veronensis & Hildebrandi gesta celebrat. Sunt & illa fortè mediocriter antiqua, quæ in templis Germanicè à tota plebe decantata sunt hactenus, cùm cætera Latinè cantarentur: ut illud de resurrectione Domini, Christ ist erstanden / Von der marter allen / &c. Carolus Magnus, Eginhardo teste, barbara antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, descripsit, memoriæque mandavit.

Vide parœneses Tyrolis. Vuinsslekii & Vuinsbekia aa filios edita per Goldastum.

Apud Gothos, & alios Septentrionales, Scandinaviæ populos, gigantum & fortium virorum gesta antiquitus saxis montium

Gothica lingua olim usitata in Saxis.

inscripta & insculpta etiamnum visi, illarum gentium historiographi produnt, ut Saxo Grammaticus, & Io. Magnus Gothus, nostro tempore archiepiscopus Vpsalensis, historię Gothicæ conditor; in qua & alphaberum Gothicum antiquissimum publicavit, & sępe veterum apud Gothos carminum mentionem facit, quæ interdum Latinè conversa recitat. Io. Aventinus etiam in Bojorum Annalibus aliquoties regum quorundam in vetustis Germanorum carminibus nomina & facta celebrari ait: sed hæc fortè sunt, quæ à Carolo Magno condita diximus. Gothica quidem multò vetustiora arbitror: siquidem Romanum imperium ad eos vsq; non penetravit: & Gothorum regnum plusquam bis mille annos durâsse, auctor est Iordanus episcopus genere Gothus.

Vide de literis Getarum, sive Gothorum & Vulcanium.

Gothi vel Getæ veteribus Tatari

Vagus fluvius Hungariæ oritur ex altis montibus, qui Carpathi caput existimantur, nive perpetuâ conspicui. Sclavorum linguâ appellátur Tatri, hoc est Tatari, quòd in regionem Tatarorum, qui veteribus sunt Getæ, vulgi opinione protendantur, Georg. Vuernherus. De Gothorum origine & interneccione, & quòd veteres illi Gothi de Scythia pulsi sint, longè alii, quàm qui sub rege Daciæ (Daniæ) in Gothia degunt in Septentrione, leges historiam Matthiæ à Michau libro 1. cap. 11.

Gothi

Gothi retro vel ſupra Capham incolunt: poſt eos Alani. Gothi Germanicè loquuntur. nam famulus Germanus, qui mecum erat, facilè eos intelligebat. Ibidem Gothalani ſunt, populus ex utriſq; mixtus, cùm Gothi Alanis, qui priores hæc loca tenuerunt, ſuperveniſſent, teſtatur Ioſaphat Barbarus in Italico libro legationis ſuæ ex Venetiis ad Tanam.

Gothi Germanicè loqui ſoliti.

Oſtrogothi Tauricam Cherſonneſum poſt primam occupationem uſq; ad hodiernum diē inhabitant. Nam licet Imperatores Græci peninſulam illam aliquando poſſederint, Ianuenſes q; Caffam, quæ eſt Theodoſia, occupaverint, Tamerlanus q; decantatus Tartarus illam ceperit, à quo tempore eam Tartari Vlani (qui & Præcopenſes & Crimnenſes, ex oppidi nomine ita vocati) poſſederunt ac inhabitarunt; qui & ipſi poſtea à Turcis fuerunt ſubacti, & ad Tributū ſolvendum coacti: Oſtrogothi tamen ſemper montana, licet ſub tributo, poſſederunt. Loquuntur autem Germanicè, qua linguâ omnes Gothi, ut pote Germani, ſunt uſi. Superfuêre & ad ętatem uſq; noſtram duces Gothorū nobiliſſimi de Mankup, qui caſtrum Mancup ſemper à Tartarorum vi defenderunt, donec Machumet Turcarum Imperator Caffam expugnavit, Tartarosque ac peninſulam ſuo ſubjecit imperio . . . m & caſtrum Mancup cepit.

Oſtrogothi incolæ Tauricæ Cherſonſi Vide de his notas ad Getbas.

ac duos duces fratres de Mancup gladio pèr euſſit; in quibus & tota Gothorum illorum nobilitas ceſſavit. Gothi verò, qui adhuc in montibus ſuperſunt, ut plurimùm vineas colunt, & inde vitam ſuſtentant.

Ex Gothis orti Stirii & Turingi

Porrò & hoc ſciendum, quòd ex omnibus nationibus Gothicis nulla amplius in Germania ſupereſt, exceptis Scyris; qui & nunc quoque Stirii vel Stirenſes appellantur: & Turcilingis; qui & Turingi: inquit Bilibaldus Pirkeymerus.

Gothorum nomen varièſcriptũ.

Scribunt Gothorum nomen plerique per t ſimplex: aliqui per duplex: rurſus alii aſpirant: alii non aſpirant.

Gothorum lingua nuntur & Schondiani

De Gothis hactenus ſparſim in Germanicæ linguę mentione. Loquuntur autem Germanicè hi quoque Gothi, qui Schondiæ ſeu Scandinaviæ partem incolunt. Eorum vocabula quædam in præcedentibus, & in Islandicâ linguâ (quam Gothorum in Scandinavia proximam eſſe reor) orationem Dominicam exhibui.

Item Norvegiani

Similis etiam fuerit in eodem tractu Norvegiæ lingua; cujus dictiones paucas adſcribam:

Norvegicè.	Germanicè.	Latinè.
Gete	Geiß	Capra.
Oel	Bier	Cereviſia:
Bröd	Brot	Panis.

Stuhr

Stuhr	Groß	Magnus.
Speck	fleisch.	Caro.
Picke	Magt	Ancilla.
Hußbund	Hußvatter	Paterfamiliâs.

In aliis quidem & remotioribus earundem ad Septentrionem regionum locis, linguam à communi Germanicâ multùm variare puto, nam, ut Olaus Magnus scribit, veterum dominorum montes vocant Hornilla buck, Diabolum Trol, & fluvium quendam, Trolheta, id est, diaboli verticem vel caput. het puto eis caput est: & cetum ingentem troluual.

Septentrionales & maritimi Germani, quos inferiores vocamus, ſ mutant in t: & b in f: & ȝ quoque in t. Quare à superioribus Germanis non facilè intelligi possunt, Munsterus. *Septentrionales Germani inter se difficiles.*

Oratio Dominica Geldricè,

Onse vayer/ die ghey seit in den hemel: geheilicht sey vwen naem: wu reyck ons toecoem: vwen wil geschie ûp erden als in den hemel: geeft ons heuyen ons daghelichs broot/ ende vergeeft ons onse schult/ als wey vergeven onse scultenaers: ende enleyt ons niet in becoringhe/ sond verloest ons van allen quaden. Amen.

Ejsdem Geldris moyer est mater, Bruyer frater, suster soror, &c.

Gethæ iidē qui Gothi.

¶ GETAE aliis iidem, qui Gothi sunt: à liis Tatari, inde nimirum; quòd vetus Gothorum regio hodie Tatariæ regno subjecta, & ejus pars sit.

Gothininō nti olīti linguâ Germanorum.

¶ GOTHINI & OSI terga Marcomanorum Quadorumq; claudunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos: & quòd tributa patiuntur: partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat, & ferrum effodiunt, &c. Cor. Tacitus in lib. de moribus Germanorum. Quados, Marcomanos & Gothinos, Moraviæ & Sleſiæ regiones incoluisse Andreas Althamerus conjicit. Osi verò, inquit, eam incoluerunt partem, quæ est Moraviæ vicina, versus Sleſiam & Poloniam, ubi sunt Oppel & Neussa urbes. Vtrum Araniſci in Pannonia ab Osis Germanorum natione, an Osi ab Araniſcis in Germaniâ commigraverint, cùm eodem adhuc sermone, institutit, moribus utantur, incertum est: Tacitus.

Græca lingua olim in Asia & Europa usitata.

¶ GOTHORVM lingua, vide in Germanica.

¶ GRAECA lingua olim non per Europam tantùm in ipsâ propriè dicta Græciâ: sed

sed in minore Asiâ quoque, ut Ioniâ & finitimis regionibus, & in parte Italiæ, quam Græciam Magnam vocant, in communi & vulgari hominum usu fuit: & in aliis quóque remotissimis regionibus propter bonas & utiles artes atque scientias, sed inutiles quóq; ut magiam, eâ linguâ traditas, viri sapientes, ut Druidæ apud Gallos, operam illi dabant: quemadmodum hodie quóque patrum nostrorum memoriâ per omnes in Europâ, quæ Christum agnoscunt, regiones, apud sapientes & literarum studiosos homines, ejusdem linguæ cognitio in omni philosophiæ & scientiarum genere, maximo Dei beneficio, restituta renovataq; est, sicut etiam Hebraicæ & Latinæ linguarum; quę jam prorsus obscuratæ & exoletæ erant: cùm ita nimirum videretur Deo Opt. Max. ut tres illæ linguæ, quæ tum maximè florebant, cùm filius ejus unigenitus propter peccata nostra in hanc terram è cœlis descenderat, & quibus eo mortuo totidẽ tituli regii in Cruce, cui affigebatur, propositi sunt, nunc etiam pura Evangelii & Christi doctrina, inter multas fidelium persecutiones & mortes, renascente, & suis crescente vulneribus, sanguine Martyrũ irrigante, restituerentur: ut hoc veluti instrumento, sub appropinquantẽ secundum Domini adventum, dæmonibus &

hujus Mundi proceribus invitis, in orbem terrarum sacrosancta veritas spargeretur: ad idem beneficium accedente etiam, quæ eodem tempore primùm non absque singulari providentia Dei inventa est, mirabili typographorum arte.

Græca lingua prior Latinâ.

Linguam Græcam Latinâ priorem fuisse Servius scribit in Georgicis super illo Vergilii, *Oestrum vertere vocantes.* Et sanè videtur mihi quoque Latinâ antiquior esse, eo maximè argumento, quòd & literarum characteres (quod in majoribus clarius est) Latini ferè à Græcis mutuati videntur, & vocabula eorum innumera usurpant: Græci Latinorum ferè nulla. Vnde convincitur vel omnino, vel saltem scribendi usu Græcam esse vetustiorem. Vbi hoc etiam mirari subit, quòd eadem, quæ vetustatis in hisce tribus linguis, religionis quóque prius aut posterius & literis comprehensæ & hominum animis acceptæ differentia sit. Vetustissima enim est Hebraica, & literarum monumentis religionem sacram prodidit ea primùm. Hanc sequitur Græca; in qua novum Testamentum conscriptum est. Post Græcos Latini & acceptârunt religionem, & suis tradidêre literis. Post Latinos Germani aliæque gentes, postquam Christum sapere cœperunt, & suam & sacras (hoc est, in quibus res

Græcâ linguâ vetustior Hebraica.

sacræ

ſacræ & divinæ ad ſalutem noſtram traditæ ſunt) linguas excolere cœperunt, ut noſtro tempore Rhæti, qui Italicè loquuntur, Valli in Britannia, Rutheni & alii. Ita paulatim religionis tanquam veſtigia linguæ ſecutæ ſunt diverſæ. quo nomine tres illas potiſſimùm, quibus & olim tradita eſt religio & in Cruce conſecrata, & noſtro tempore renovata, in ſuo uſu Eccleſia retinere, fovere atq; excolere debet.

Linguâ & characteribus Græcis uſi olim Tarentini.

Tarentini, è alii Græciæ Magnæ in Italia populi, ut diximus, apud quos Pythagoricæ profeſſionis permulti ſectatores fuerunt, Græcè locuti ſunt: & extant quædam fragmenta hominum Tarentinorũ Græcè ſcripta ſermone Dorico, quo & Siculi utebantur, ut in Collectaneis Stobæi: quorum nomina jam non ſuccurrunt: & in ſuo Lexico Heſychius vocabula aliquot recenſet tanquã Græca, Tarentinorum gloſſas: quale eſt, Κλαυμαριόμενον, κλαίοντα, Ταραντῖνοι, &c.

Aeoles. Attici. Iones, Dores & alii.

De variis hujus linguæ dialectis, *Aeolica, Attica, Ionica & Dorica*, partim ſuprà à nobis dictum eſt, partim infrà dicetur, pro ordine, quem ſequimur, literarum *Communem* quidem linguam in nulla regione privatim vulgò receptam fuiſſe judicârim. Habet enim ubiq; vulgus ſuum aliquid proprium, quibus à cæteris plærisque differt: ſed illam

dici *communem*: quam viri vel literati, vel alioqui sapientes & peregrinationibus cultiores usurpabant. Quod ad vulgares dialectos; *Attica* inter cæteras & elegantior & communi propior erat: *Dorica*, ni fallor, crassissima: quare etiam æglogæ, & pastorum colloquia, in ea conscripta sunt à Theocrito & Moscho. Memoratur fortè ab aliis inter dialectos Græcas & *Thessala*, & aliæ quędam: quę, nisi fallor ad quatuor prædictas referri omnes possunt.

Georgiani. Georgiani linguâ Græcâ utuntur in sacris, cùm vulgaris eorum lingua Tartaricę & Armenicæ media sit.

Iacobitæ. Iacobitæ etiam in linguâ Græcâ similibus characteribus utuntur; qui à Græcis parùm variant, & nonnullæ eis peculiares adduntur, ut testatur Postellus: & similiter ferè

Moscovitæ. Moschovitæ.

Carthaginenses. Carthaginienses in bello adversus Dionysium seniorem, quum se literarum Græcarum commercio proditos sensissent, ac quicquid fuisset ab ipsis decretum, Dionysio significatũ, senatusconsulto caverunt; ne quis postea Carthaginensis aut literis Græcis aut sermoni insuesceret studeretve, Cælius Rhodiginus.

Oratio Dominica sermone & characteribus Græcis.

Πάτερ

Πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου. ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. γενηθήτω τὸ θέλημά σου ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Ἀμήν.

Eadem Latinis characteribus.

Páter himôn, ho en tîs uranîs. hagiasthîto tò onomá su. elthéto hi vasilía su. genithîto tò thelimâ su hòs en uranô kæ epì tîs gîs. tòn ârton himôn tòn epiúsiō dòs himîn simerō. kæ âphes himîn tà ophilímata himôn, hòs kę himîs aphíemen tîs ophiletæs himôn. kę mì isenênkis himâs is piraſmòn. allà rhyſæ himâs apò tû ponirû. Amín.

Lingua Græca hodie vulgaris non minùs ferè multis in locis à vetere Græcâ receſsit tum vocabulis barbaris admixtis, tum Græcorum depravatione literis & terminationibus immutatis, quàm Italica & Hiſpanica,

Lingua Græca hodierna veteri valde diſsimilis.

à vetere Latina. Vidimus hac linguâ translatam & excusam Homeri Iliadem: & Leonardi Phortii Romani libellum de re militari, metris homœoteleutis, cujus hoc initium est:

Τὸ πολέμιν νὰ γροικήσω
Τ' ἀναγκαῖα νὰ ξηγήσω
Τὰ πολλὰ πεθυμημένα
Εὐγενεῖ καὶ παινεμένα
Εὐζωνίῳ παλικάρι, &c.

Ἰάκωβῳ τῷ Λασκάρει.

Sed suspicor, ipsum vulgi sermonem corruptiorem esse, quàm qui à literatis scribitur. Inter dialectos varias, quarum aliæ aliis plus minúsve corruptæ sunt, ut Cretæ, Cypri, Corcyræ & alias, Peloponensem ceu puriorem hodie præferri audio. Cyprius quidam superioribus annis cùm hac transiret & me salutaret, vulgatas apud Græcos hujus temporis sententias mihi descripsit istas: Ὁ παπας καὶ ὁ αντίχεις Θ' απε μιαν μανα γιγιαννημένι. Τρις καρδιναλιδες, ενδα δβα βολι. Τια κακα, λαμπρον, γυνεκα, θαλασσα. Καρδζαριγαδων ισχινειν χιρνα. Ὁ λάγος εγλιγορα ξεχει, αλλα μετα αμαξιν πιανετε: id est, Lepus celeriter currit, sed curru capitur: quod postremum Italis etiam

in

in proverbiali usu est. Petri Burranæ Lucarnensis libellus inscriptus Corona pretiosa excusus est Venetiis anno Domini 1546. in quo è regione conferuntur vocabula linguarum quatuor, Italicæ vulgaris, & Latinæ: Græcæ vulgaris, & Græcæ veteris.

¶ HEBRAICA sive Iudaica lingua, quæ & *sacra* vel *sancta* dicitur, quòd vetus Testamentum in ea primùm sit conscriptum: qui liber ferè solus purè Hebraicus habetur: cæteri iisdem characteribus scripti vel Chaldaici sunt, vel alias dialectos & glossas admixtas habent. Recentiorum quidem judæorum sermo, qui Thalmud interpretati sunt, ideò obscurus est, quod omnium ferè gentium vocabula intermiscuerit. *Hebraica lingua dicta sancta: & cur.*

Samaritana lingua prisca Hebraica est, Postellus. Idem Hebraicam & Phœnicum linguam eandem fecit, omnium antiquissimam. Vide infrà etiam in Punica. *Hebraica prisca samaritana.*

Oratio Dominica, transcripta ex Evangelio secundùm Matthæum, quod Seb. Munsterus in Hebraica lingua edidit Basileæ. Id verò Evangelium Hebraicum non per omnia congruere Syriaco, vel Hebraico, quo divus Hieronymus usus est, patet vel in verbo panem nostrum quotidianum: *quod Hieronymus legit* crastinum: *ut Commentaria ejus in Matthæum testantur.*

Abínu, schæbaschamâïm. jithkaddêsch schemæcha. tábo malcutæcha. jehasæh retzonechá cebaschamâïm ubaârætz. æth lach ménu temídi tén lánu hajóm. uselách lánu æth chobothénu, caaschær anâchnu solechím lebahalé chobothênu. veál tebiênu benissajón. ællá hatzillénu merâh. ci lechá hammalcúth, ugeburâh vecábed leholám holemím, Amen.

Reddita & verbis Latinis:

Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum: Veniat regnum tuum: Fiat voluntas tua sicut in cœlis, & in terra: Panem nostrum continuum vel perpetuum da nobis hodie: & remitte nobis debita nostra, quemadmodum nos remittimus debitoribus nostris: & ne facias nos venire in tentationem, sed libera nos à malo. Quia tuum regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum. Amen.

Hetrusca lingua hodie nulla: olim à Latina differens.

¶ HETRVSCAM linguam hodie nullam esse puto: olim à Latina plurimùm differebat, ut ex vocabulis quibusdam paucis, apud Auctores, apparet: quale est *Aesar*, id est, *deus*, in Augusto Suetonii. *Padus* à profunditate *Botigon* ab Hetruscis nuncupatur, à Liguribus *Botigum*. *Ancona*, priùs

priùs *Picena*, vocabulo Hetruſco ſimul & Aboriginum dicta. *Piceni* linguâ Hetruſcâ genus ſacrum dicitur, orti à Sabinis. Ferentani primùm à Liburnis & Dalmatis, inde his pulſis à Tuſcis orti; quorum linguâ *Larinum* metropolim vocaverunt, id eſt, nobilem principem. *Laronem* enim Hetruſci & *Larunem* & *Arunem* vocant nobilem principem, *ut hodie baronem Hiſpani, ſi bene memini.* Inde in Tranſpadana (Gallia) Larium, vocant lacum, & in Thuſcia *Larones* amnes, & *Arunes* colonias, & viros *Arunes*; quos Thuſci ſecunda declinatione, Romani & Græci, ſicut Atlas, tertiâ declinant, & proferunt *Aruntes.* Hinc etiam nimirum nomen *Arûntis Cluſii*; quo duce Galli alpes tranſcenderunt, ab omni Gallia ciſalpina Hetruriam pepulêre. *Sagi* dicti ſunt primi Thuſci, id eſt, pontifices & ſacri expiatores. Sabinis & Hetruſcis non eſt litera q. ſicut Romanis, (*quare c pro q. ſcribebant.*) Hæc omnia M. Portius Cato. Idem, Comerus Gallus, inquit, docuit ſuos Italos urbem curribus componere: et idcirco Veji appellati vocabulo Sago (Scythico Armenio, vel Sacarum, ut ego interpretor:) qui *Vejas* plauſtrum appellant (ut Germani wegen) & urbem ex his compoſitam, ſi parva ſit, *Vei-*

Lar, Lard dominus Hisp.

tulam: si magna, *Vlurdum*: si metropolis, *Cyrcholam*. Ad hæc quoq; tempora Scythę plaustris & curru pro domibus utuntur, Berosus

Hetruscæ originis etiam quædam Arnobiana.

Hetruscæ originis suspicor esse etiam illa vocabula, quæ Arnobius libro 7. adversus gentes recenset, de victimis & earum partibus olim usitata: ut sunt, *apexabo, longavo, tucetum, næniæ, palasea, vel plasea, fenatica, isitium, mateola, fitilla, augmen, magmentum, amen, sanguinum*, &c. quę factitia & obscuriora sunt de industria, ut essent augustiora, quomodo loquitur Arnobius. A quibus enim haruspicinæ Romani superstitionem acceperunt, ab iis etiam vocabula mutuatos verisimile est.

Hetruscæ lingua affinis etiam Armeniæ vel Scythicæ.

Videri potest hæc lingua aliquid commune cum Armenia vel Scythica habuisse. Vtrique enim *sagos* nominant Pontifices & sacros expiatores; & Noam ex Armenia profectum in Italiam ferunt, & utrisque conscriptos de naturalibus & divinis rebus libros reliquisse. Vtrique Vestam coluerunt, & Ignem servarunt perpetuum.

Hetruscas aliqui (Latinorum) fabulas exposuerunt, sicuti Livius & M. Cicero alicubi testantur, P. Crinitus.

¶ HIBERNIA vel IBERNIA in Oceano inter Angliam & Hispaniam posita est, dicta ab Ibero duce, homine Hispano; qui primus cum magno hominum numero eam occupavit

pavit: vel ab Ibero fl. Hiſpaniæ, cujus accolæ primi inſulam habitaſſe feruntur. Hiberni quidem cùm habitu corporum, tum vivendi ritu atque moribus non valdè diſcrepant ab Hiſpanis vicinoribus. Hibernica lingua peculiaris eſt, qua etiam Scoti Sylveſtres & inſulani ab Hibernis oriundi utuntur, Munſterus.

¶ HIEROSOLYMITANA lingua ea vulgò dicitur, qua exſtat Targum Hieroſolymitanum, hoc eſt, paraphraſis in aliquot libros veteris Teſtamenti: quæ conſarcinata eſt ex Hebraicis, Chaldaicis, Græcis, Latinis & Perſicis vocabulis, ita ut cum Talmud Hieroſolymitano, qui trecentos annos poſt templi everſionem eſt conſcriptus, conſentiat.

Hiſpaniæ lingua vetus olim Mauritanica vel Lybica.

¶ HISPANORVM lingua vetus quæ fuerit, non habeo quod dicam. Veriſimile eſt autem in oris ad mediterraneum mare, præſertim occaſum verſus remotis, Lybicæ vel Mauritanicæ linguæ olim uſum extitiſſe. Nam & Mauri in illis regionibus imperârunt: & multa Maurorum vocabula adhuc habent relicta, præſertim Luſitani, ut audio.

Hodierna purior Caſtellana, & affinis Italica.

Inter dialectos, quibus hodie utuntur, Caſtellana præfertur. Affinis eſt Italicæ, & ad Latinam linguam propiùs, quàm Gallica accedere mihi videtur: minùs tamen, quàm Italica. Habent & Gothica quædam vocabula

cùm alia, tum propria, præsertim virorum. Nam Gothi, multo tempore Hispanias obtinuerunt: & per illorum grassationes ac imperia Latinam linguam in Italiâ primùm, deinde etiam Gallis Hispanijsque corruptam arbitror, & novas illas, quibus nunc loquuntur, inductas. Opinor enim, vulgus Gallorum quoque & Hispanorum, imperantibus Romanis, Latinâ aliquandiu relictâ, paulatim veteri linguâ locutum, quod in Germania non contigit: neque enim Romani totam occupare Germaniam potuerunt, neq; diu illas, quas occupaverant, partes retinere. Vide infrà in Sardorum lingua.

Oratio Dominica Hispanicè.

Padre nuestro, que estás en los cielos: sea sanctificado tu nombre: venga tu reyno: sea hecha tu voluntad como en el cielo, *ansi* tambien en la tierra. Da nos oy nuestro pan quotidiano: y suelta nos nuestras deudas, como tambien nosotros soltamos à nuestros deudores. y no nos metas en tentacion: mas libra nos de mal: porque tuyo es el reyno, y la potencia, y la gloria, por todos los siglos, Amen.

Hungari Hispanicè lingua peculiaris.

¶ HVNGARIA, Austriæ contermina & in orientem vergens, inferiorem Pannoniam à fluvio Leycha usque ad Savum complectitur

plectitur, & Danubium transgressa ad Polonos usque protenditur: & quæ quondam arva tenuêre Gepidæ Daciqúe obtinet. Imperium gentis Hungaricæ multò latius est quàm ipsa Hungaria. nam & Dalmatæ; quos Schlavos: & Illyrii; quos Bosnenses: & Tripalii seu Mysii; quos tum Servios tum Rascianos appellant: & Getæ; quos partim Valachos, partim Transylvanos nominant, Hungarorum imperium subierunt: etsi nonnulli ævo nostro Turcarum armis devicti defecerunt. Hanc provinciam quatenus circa Istrũ extenditur, sub Octaviano Cæsare Romani primùm obtinuêre: Daciam verò trans Danubium, quæ nunc Hungariæ portio est, Trajanus Imperator edomuit. Post Romanos aliquando Huni, Scythica gens, aliquando Gothi ex insulis Balthici maris populi, deinde Longobardi ex Germania profecti Pannoniam occupavêre. Postremò Hungarorum natio ex ultimis Scytharum finibus inundavit, quæ usque in hanc diem regno potitur, & ultra citraque Istrum latè dominatur. Extat adhuc non longè ob ortu Tanaïs altera Hungaria, nostræ hujus, de qua sermo est, mater, linguâ & moribus penè similis: quamvis nostra civilior est, Christi cultrix: illa ritu barbarico vivens servit idolis, Aeneas Sylvius in Europa.

I. *Salutatio Angelica Hungaricè.*

Vdû oſglied	Maria malatſchual teglieſh,
Ave	Maria gratia plena,
Vrvagion teveglied, tenagialdot aſſonialatock	
Dominus	tecum, benedicta tu mulieres
kôſôtte,	eſchaldot temiegnier giumoltſche
inter,	benedictus tui ventris fructus
Jeſus	Chriſtus. Amen.
Ieſus	Chriſtus. Amen.

II. *Numeri cardinales.*

Eig,	ketto,	harom,	nieg,	ôt,	hatt,	het,
Vnũ,	duo	tria,	q̃tuor,	q̃nq̃,	ſex,	ſeptem,
niogls,	kilentz,	tiz.				
octo,	novem,	decem.				

III. *Oratio Dominica Hungaricè, tranſcripta ex Pſalterio Hungarico, edito ab Alberto Molnar, Herbornæ 1607.*

Mi Atyânc ki vagy az mennyekben, ſzenteleſsèc meg à te neved. jôyôn el az te orſzâgod: Legyen meg à te akaratod, mint az menyben, ugy it ez fôldônnis. Az mi mindennapi kenyerünket add meg nékûnc ma. Es boczâsd meg az mi vêtkeinket, miképpen miis megboczâtunc azoknac az kic mi ellenûnc vêtkeztenec. Es ne vigy minket az ké-

ſertethe: De ſzabadicz meg minket az gonoſztol, mert tiéd az orſzág, az hatalom, az dûczôſeg mid ó rôkke, Amen.

Ex Iuh. â regione Scythiæ frigidiſsimâ ad Septentrionem & Oceanum (ſupra Tanaim) egreſsi ſunt Iuhri, à poſterioribus Huni (*doctiores Hunos ab Hungaris diſtinguunt, ut mox Aventinus*) & Hungari dicti, qui ad Gothiam aſcendentes vehementer multiplicati tranſierunt maxima flumina circa paludes Mæotidis, intraveruntque Pannoniam, & ſecundo regreſſu eam occupaverunt, tenentque in hunc diem: & lingua utuntur omnino eadem (qua Iuhri Scythæ) niſi quod addiderunt noſtri Hungari aliqua vocabula ex Sclavonico idiomate, earum rerum, quæ in Scythia & Iuhra non reperiuntur. Iuhri quidem Scythæ omnino ſylveſtres ſunt, & in frigidiſsima regione miſerrimè degunt, Matthias à Michou.

Hungari ſicti & Iuhri unde eadem ferè illis lingua

Hungaros ex Scythia veniſſe, nemini dubium eſt: de nomine diſceptatur, cùm alii ab Hunnis & Anaris voce compoſita dictos eſſe aſſerant: alii aliud comminiſcantur. At verò propiùs eſt à regione Iuhra vel Iugaria (ut quidam dicere malunt) regione Moſchis confini & ad imperium eorũ pertinente, manâſſe Hungarorum nomen, cùm nunc quoq; Sclavorum linguâ, qua nulla per Eu-

Hungari orti ex Scythia.

ropam latiùs patet, Iuhri, vel primâ ſyllabâ nonnihil (ut fit) levigatâ Vhri, vocentur, Georgius Vuernherus.

Hungari dicti & Vgri.

Vgros Io. Aventinus Teutonibus adnumerat, quamvis lingua & moribus diſcretos. Vgri, inquit, qui ipſorum lingua Mægari vocantur, una gens eſt, non in plures nationes diviſa, ut cæteri Germani: latiſsimum poſsident regnũ. Venedis Teutonibus (Sclavonicè loquentibus, qui tamẽ Teutonibus adnumerantur vicinis) imperitant: advenæ ſunt: origo eorum in quarto (Annalium Bojorum) narrabitur volumine: incolunt Pannoniam, & eam partem Germaniæ, quam Iaziges, Goti, Getæ, Gepidæ olim tenuerunt. Nec enim Hunni ſunt. Nam Hunnis ſucceſsêre Venedi & Boii. Hos pepulêre Vgri, quemadmodum in quarto referemus libro in vita Imperatoris Arionulphi Cæſaris Auguſti. Lege etiam ſuprà in Dacis.

Hungari qui iam Illyricè loqui ſoliti.

Hungari ad Vagum fluvium Illyricè loquuntur: ſed nihil habet hæc lingua cum Illyrica, aut Britannica commune, nec cum ulla alia (opinor) ei convenit. Audio hac lingua impreſſum eſſe novum Teſtamentum, ſed ferè inutiliter, quod hactenus in ſcribendi uſu non fuerit hic ſermo, & ruſtici etiam Latinè ſcribere, quantum poterant, conati ſint. Mihi nulla lingua tam barbara videtur,

v. Vaſci. fol. 116 a.

quæ

quæ non ab hominibus literatis ita ſcribi poſsit, ut intelligatur: nam & noſtra memoria primùm Rhætica alpina ſcribi cœpit.

¶ HVNI vel HVNNI, vide in Hungaris.

¶ IACOBITAE in lingua Græca ſimilibus characteribus utuntur, qui à Græcis parùm variant, & nonnulli ejs peculiares adduntur, Poſtellus.

¶ IAPIDES & IAZYGES Illyricè loquuntur.

¶ ICHTYOPHAGI Arabicè ferè & Perſicè loquuntur.

¶ ILLYRICA lingua Illyricisque literis utuntur Moſchovitæ, ſicuti & Sclavi, Dalmatæ, Bohemi, Poloni & Lithuani. Ea lingua longè omnium latiſsima eſſe perhibetur: nam Conſtantinopoli Ottomanorum in aula familiaris eſt, & nuper in Ægypto apud Memphiticum Sultanum & equites Mamaluchos haud ingratis auribus audiebatur. In hanc linguam ingens multitudo ſacrorum librorum, induſtriâ maximè ſancti Hieronymi & Cyrilli tranſlata eſt. Præter quoque patrios annales, Alexandri etiam Magni Romanorumque Cæſarum, itemque M. Antonii & Cleopatræ memoriam iiſdem literis commendatam tenent. Philoſophiam verò & ſideralem ſcientiam, cæterasque diſciplinas, & rationalem medicinam nunquam attigêre, Paulus Iovius.

Illyrica lingua omnium latiſsima.

Vandal, Suevi & Burgundi, fuerunt de regno Polonię, à locis, quæ inhabitarunt, appellati, & lingua uſi ſunt Polonica. Fuerunt autem Germani, & non Sarmatæ neq; Scythæ, Matthias à Michou. Et mox, Lingua Sclavorum ampliſsima eſt, & per plurimas diffuſa terras, ut ſunt Servii, Myſii, Raſci ſeu Bulgari, Boſnenſes, Turco hac tempeſtate ſubjugati (& alij,) veluti Dalmatæ, Croatæ, Pannonii, Slavi, Carni, Bohemi, Moravi, Sleſitæ, Poloni majores & minores, Mazovitæ, Pomerani, Caſſubitæ, Sarbi, Ruteni, Moſcovitæ. Hi omnes Sclavi & Vindelici (*Vandalici*) ſunt, per ampla regna inhabitantes. Sed & Lituani iam ſclavonizant: Nugardi quoque, Pleſcovienſes, Smolnenſes & Obulici

Illyrica lingua dicta etiam Sclavonica

Slavonica lingua, quæ hodie corrupto nonnihil vocabulo Sclavonica appellatur, latiſsimè patet: ut qua Dalmatæ, Boſnenſes, Chroati, Iſtrii, longoq; ſecundùm mare Adriaticum tractu, forum Iulii uſque, Carni (quos Veneti Charſos appellant,) item Carniolani, Carinthii ad Dravum fluvium uſq;: Stirii verò infra Gretzium, ſecundùm Mueram Danubium tenus, indeque Miſii, Servii, Bulgari, aliiq; Conſtantinopolim uſq; habitantes: Bohemi præterea, Luſacii, Sileſii, Moravi, Vagiq; fluvii in regno Hungariæ accolæ: Poloni item & Rutheli latiſsimè imperantes,

rantes,

rantes, & Circaſi Quinquemontani ad Pontum: denique per Germaniam ultra Albim in Septentrionem Vuandalorum reliquiæ ſparſim habitantes utuntur. Hi etſi omnes ſe Sclavos eſſe fatentur: Germani tamẽ à ſolis Vuandalis denominatione ſumpta, omnes Sclavonica lingua utentes, Wendẽ/Winden & Vuindiſch, promiſcuè appellant, Sigiſmundus Liber Baro. Habitabant Vuagrii, Vuinuli, Obotriti, Polabi, per littora maris Germanici, omnes uno nomine & unâ linguâ Vandali, Vuitichindus.

Sclavonicæ gentes Europæ ſimul & Aſiæ incolæ.

Gentes Sclavonicę, inquit Bilibaldus Pirkeimerus, non ſolùm magnam Europæ, ſed & Aſiæ partem occupavêre, ſuperſuntque hodie in montibus Iberiæ ac Albaniæ, & verſus mare Hyrcanum Circaſsi: & Gazarorum gentes: nec non Mengrelli. Hi enim omnes ex Sclavorum gente originem ſumpſêre, linguaque loquuntur Sclavonica, ac Chriſti fidem ſecundùm ritum Grecum ſequuntur. Quin per totam Turchiam, præcipuè apud milites, Sclavonica in uſu eſt lingua, ita ut Conſtantinopolis ipſa jam non ampliùs priſco nomine, ſed Cæſaris domus Sclavonica vocetur lingua. Sed & paulò antè in aulâ Soldani Ægyptii, milites, utpote magna ex parte Circaſsi, Sclavonicè loquebantur.

Ne Vuandalorum nomine falsò insigniat.

Cæterum qui Vinulos, seu Vendos, reliquámve Sclavorum gentem Vandalorum nomine honestare contendunt, planè falluntur. Constat enim classicorum scriptorum auctoritate, Vandalos ex Gotthorum ortos esse gente: quemadmodum & Sciros, Gepidas, Alanos, ac reliquos Gotthicæ nationis populos: inter quos nihil præter solam interfuit nomenclaturam. ejsdem enim institutis eademque utebantur lingua, Germanica nempe: quemadmodum (ut dictum est) ex reliquiis quoq; Gotthorũ, qui montana Tauricæ Chersonnesi præsenti adhuc ætate obtinent, discedere licet: quum Sclavorum, Vendorum & Viltzorum loquela penitus à Germanica sit diversa. Quin & diu antea quàm Sclavorum nomen est auditum, Vandali populariter cum liberis & uxoribus è patria emigrârant, jamque Lusitaniæ partem tenebant, ac in Africam traijcientes, Carthaginem cum universa illa provincia suo subjecerant imperio. Sed & tam Ostrogothi quàm Visigothi Christianam tum susceperant fidem, quum Sclavi sub initium omnis religionis fuerint expertes: quorum tanquam novorum hostiũ nomen, sub Mauritio primùm auditum est: excursionesque eorum à justiniano non parùm sunt repressæ, donec immensa multitudine superantes magnam

magnam Europæ & Germaniæ quoque occupaverint partem: quod quidem Procopii aliorumque plurium auctorum constat testimonio. Egressi autem sunt ex Scythia, quemadmodum multæ aliæ barbaræ nationes, & ut Solinus Græcus scriptor refert, ex profundo Bersiliæ: dominatique sunt omni pervię terræ vsque ad mare Ponticum. Gazari (*hos quidem suprà Sclavonicè loqui scripsit*) sub initium à Græcis appellati, quemadmodum & hodie à Saracenis vocantur. Nihil igitur Vandalis ac Vendis, præter nominis tantùm consonantiam quandam, unquam commune fuit: licet Sorabi, Viltzi, Vendi, ac reliquæ Sclavorum gentes à Vandalis derelictam occupaverint terram, quemadmodum & multas alias regiones suo subjecerunt imperio, prioribus expulsis habitatoribus. Siquidem nulla unquam gens è Scythia egressa, tam copioso numero, ut Sclavis habitabilis terræ partem inundavit. Nam quicquid est à mari Sarmatico & Baltheo, ad Pontum vsque & Adriaticum mare: nec non à Tanaide fluvio usque ad umbilicum Germaniæ, cum tota Sarmatia Europæa, ac magna parte Asiaticæ, nec non Boëmia, Dalmatia & Illyria, suâ repleverunt multitudine, Hucusque Pirkeimerus.

Venedos Io. Aventinus Teutonibus ad-

numerat, quamquam lingua & moribus differentes. Venedi, inquit, noſtro ſermone, ſuo ſunt Sclavi: b l ngues ferè ſunt, in multarum gentium capita diviſi. Nam & Dalmatiam, Liburniam, Illyricum, Pannoniæ Norciqúe partem, juſtiniano primo imperante, tranſito Danubio occupârunt, ſicut ibi adhuc Sclavonia nominatur. Valentiſsimas nationes nominâſſe ſatis erit: Zechos ſuâ, id eſt, Boëmos noſtrâ linguâ, Bolios, Maſſobios, Moravos, Bodolios, Roxalanos, Litavos.

Enumeratio alphabetica populorum, qui Illyrica lingua utuntur, partim ex auctorum verbis jam recitatis, partim ex Sigiſmundi Gelenii, felicis memoriæ, ad nos epiſtolâ.

Abgazari vel Abgazel li, qui & Gazari circa mare Caſpium.
Aeſtui.
Arbenſes.
Beſsi, hodie Boſnenſes, vel Boſnaſienſes
Bohemi.
Boruſii.
Boſnenſes, vide Beſsi.
Bulgari, vide Raſcii.
Carni.
Carniolani.
Carinthii vſq; ad Dravum.
Caſubi, aliàs Caſſubitæ.
Circaſi Quinquemôtani circa Pontum: aliâs Ciercaſsi circa mare Caſpium:
Corali.

Cro-

Croati, aliâs Chroati.
Culmii.
Curi.
Dalmatę, al. Delmatę
Dibrii.
Epirotæ.
Gazari, lege Abgazari
Gepidæ.
Hungari ad Vagum fluvium.
Iapides.
Iazyges.
Istri.
Lituani.
Livi.
Lusatii.
Lygi.
Macedones mediterranei.
Maxobii, al. Mazobitæ.
Meisi, Mysii.
Moldavi.
Moschi, al. Moscovitæ.
Moravi.
Mordaci.
Mysii, vel Meisi.
Nugardi.
Obodritæ, al. Obotriti.
Ohulici.
Pannoniæ pars.
Permi.
Plescovii vel Plescovienses.
Podolii.
Polabi.
Poloni majores & minores.
Pomerani.
Raschii, aliàs Rasci seu Bulgari.
Rugi.
Russani, al. Rutheni.
Samogitæ.
Sarbi, vide Sorabi.
Sarmatæ, qui Poloni dicuntur.
Sclavi, vel Slavi potiùs.
Servii, vide Sorabi.
Slesii, vel Silesii, aliâs Slesitæ.
Smolnenses.
Sorebi, aliàs Sarbi. hodie (puto) Servii.
Transylvani.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [133] - 61r
PUBLIC DOMAIN

Vandali, alias Vuandali.
Veltæ.
Vilaci.
Vuagrii.
Vuinuli.
Zagorani.
Zadravani.

Summa, populi circiter 60.

S. Hieronymum legimus libros veteris Teſtamenti in Dalmaticam ſive patriam linguam tranſtuliſſe. Dalmatæ autem Illyrici loquuntur. Sunt qui hanc linguam non Illyricam, ſed Sarmaticam potiùs, id eſt, Polonicam, vocandam aſſerant, quòd cęterę omnes ab hac ſint ortæ. Polonia quidem inter omnes, quæ hoc ſermone loquuntur, regiones latiſſimè patet, niſi fallor.

Οἱ ὑ βάρβαροι θεοὶ Πηνῶντες, ὥσπερ Ἰλλυριοὶ, Ariſtophanes in Avibus, Illyrios à neſcio quo vocis ſono, ceu κεκριγότες. id eſt, ſtridentes & barbaros, traducens.

Oratio Dominica ſermone Bohemico: quæ præ cæteris hujus linguæ dialectis cultior exiſtimatur.

Otozie naſs genz gſy w nebeſych : Poſwẽcſe gmeno twé : Przid krâlowſtwj twé: Buď wůle twá gako w nebi (tak) y na zemi: Chléb náſs wezdeyſsj dey nâm dnes: A odpuſt nám winy nâſſe, gakoz y my odpuſſjme

ſtjme winnjkum naſsim : Y nev wod nâs w pokuſsenj: ale zbaw nàs od zleho : nebo twé geſt kràlowſtwj, y moc, y ſlawa na wéky, Amen.

Eadem Illyricè vel Slavonicè, ex libro Bartolemæi Georgeuitz de afflictione Chriſtianorum ſub Turcis, impreſſo Vuormaciæ anno 1545 à cujus initio alia etiam ad hanc linguam pertinentia ſcribuntur:

Oteſſe naſzky ieſsi na nebeſzi: Sſuetiſſe ime tuoje: Pridi tuo kralyeuſs: Budi volia tuoia, kako na nebu, i na zem lij. Kruha naſſega ſsagdaniega dai namga danaſz. I odeuſcia nam dughe naſse, kako i mi odpuſciauam duſnikon naſsim: Inepeliai nats u napaſt, da izbaui nats od nepriaz ni, Amen.

Eadem Polonicè.

Ocziecz naſch ktory ieſtoſz wnyebye,
Swyecz ſie gymye tw̄.
Przdzy tw̄ krolieſwo.
Bandz wolya twa, yako wnyebi, y na zemij.
Chlieb naſch pow ſchedny day nam dzy ſay.
A odpuſcz nam uyny naſcha, yako y my odpuſczamy wynowaytzom naſchym.
Nye wodz naſs na pokuſchenye.
Alye zbaw naſz od zlego. Amen.

Sigiſmundus Gelenius, Bohemus, Lexicon ſymphonum edidit, Baſileæ excuſum; in quo vocabula linguarum Latinæ, Græcæ, Germanicæ & Illyricæ, quæ inter ſeſe conveniunt, vel in duabus ex iſtis, vel tribus, vel quatuor linguis, confert. Publicatus eſt etiam nuper Norimbergæ libellus de lingua Bohemica.

Indica lingua affinis Hebraicæ, &c.

¶ INDICA lingua adeò Hebrajcæ, Chaldaicæ & Arabicæ affinis eſt, licet characteribus variet, ut rara admodum ſit in hac dictio, quin in aliarum aliquâ reperiatur. Hæc ſola Orientalium, quæ ab Hebræa originem habent, legitur noſtro modo, à ſiniſtra in dextram, Poſtellus. Plura leges ſuprà in Æthiopum linguâ. Indorum complures ſunt gentes, atque eę linguâ inter ſe diſſonæ, Herodotus libro 3. *Brechmaſis*, id eſt, abortus, vocatur Indorum linguâ, Plinius libro 12. 7, Colitur apud Indos dæmon Σοροάδηϛ, id eſt, ὀινοποιός, Athenæus, fortè Σοροάπειϛ legendum, ut idem ſit qui Serapis. nam *ſirap* vinum ſignificat linguâ Afrorum circa Tripolim. Medici potiones quaſdam mulſas vel ſaccharatas *ſyruposappellant*: Græci recentiores *ſerapia*; quorum quædam etiam in Deum (fortè Serapim per ſomnia admonentem, præſertim ægrotos in templo eam ob cauſam

causam dormientes) auctorem referuntur. *Cartazonus* Æliano in hac linguâ monocerotem significat: & *scandabenamet* rhinocerotem, recentioribus. Aviculam minimam sandaricini coloris Indici suâ linguâ *dicarum* nominant, Græci *dicæum*, Ælianus.

Ionica lingua dialectus Græca

¶ IONICA Dialectus α in η sæpissimè mutat: & Πέρσεω dicit pro Πέρσου: & Δημοσθένεος sine contractione, & in accusandi casu Δημοσθένη. Aliâs quoque diæreses facit præter communem usum, non admissis contractionibus. A βασιλεὺς genitivum βασιλῆος format: dativis pluralibus in sigma exeuntibus jota addit: & insuper α in η vertit in fœmininis, ut σοφοῖσι, νύμφῃσι: pro ἓν effert ἐών: pro νόσος, νοῦσος, &c. Ex authoribus, qui extant Hippocrates & Herodotus, Ionicè scripserunt.

Hippocratis Aphorismus 1.

Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα. ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρέοντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

Secundus:

Ἐν τῇσι παραχῇσι τῆς ἰοιλίας, καὶ τοῖσ ἐμέτοισι τοῖσιν ἀυτομάτως γινομὴοισιν, ἢν μὴ οἷα δεῖ καθαίρεσθ, καθαίρονται, ξυμφέρει τε καὶ ἐυφόρως φέρεσιν: ἢν δὲ μὴ τοὐναντίον, &c.

Dialectus jàs, ſive jonica, eadem eſt, quæ vetus Attica, Euſtathius in Dionyſium.

Not apud jones di verſa.

jones linguâ non eadem utuntur, ſed ejus quatuor proprietates ducunt. *Miletus* prima apud ipſos civitas, ad meridiem vergit. Poſt hanc *Myûs* & *Priene*. hæ quia in Caria habitabantur, cum horum linguâ conveniunt. Illæ verò in Lydia, Epheſus, Colophon, Lebedus, Teos, Clazomenæ, Phocæa, jam dictis ſanè civitatibus; quantum ad linguam attinet, non reſpondent: inter ſe tamen eadem ſonant linguâ. Reliquæ tres ſunt ciuitates jonicæ; quarum duæ inſulas habitant, Samum videlicet & Chium: tertia in continente ſita Erythreæ. Ex his Chii & Erythreæ eandem proprietatem ſibi vendicant. Samii verò ab his diſcrepantes, propriâ quandam receperunt loquendi formam, atque hunc in modum quatuor omnino linguarum (jonicarum) ſiunt proprietates, Herodotus libro 1. Idem Athenienſes inter jonês Cræſi tempore excelluiſſe ſcribit.

¶ Is-

¶ ISLANDI linguâ utuntur Cimbricâ sive Danicâ.

¶ ISMAELITICA lingua, vide suprà in Æthiopum lingua ex Munstero.

¶ ISTRI Illyricè loquuntur.

Italica lingua à Latinâ etere corrupta.

¶ ITALORVM lingua à Latina vetere corrupta est, ut diximus Barbarorum infestatione & imperio Dialecti ejus plures sunt: inter quas Thuscam (id est, in Hetruria circa Senas præcipuè) præferri ajunt: versus alpes quo propiùs habitant Itali (nam & Gallos Cisalpinos omnes hodie Italos vocamus) eò minùs purè loquuntur. Ineptissimus & maximè depravatus Rhætorum in alpibus sermo est, de quo in R. elemento scribemus. Romanorum sermonem non modò Itali suum vocant: sed etiam Sabaudi vulgò, & Rhęti alpini. Valachis etiam Romanus est sermo (ut Athenæus Pius refert) sed magna ex parte mutatus & homini Italico vix intelligibilis. Gregorium Papam suæ ecclesiæ adhuc Latinè locutum constat.

Oratio Dominica Italicè.

Padre nostro, che sei ne cieli: Sia santificato tuo nome: Venga il tuo regno: Sia fatta la tua voluntà, si come in cielo, così ancora in terra. Dacci hoggi il nostro pane cotidiano: E remittici i nostri debiti, si come ancor

noi gli rimettiamo à i noſtri debitori. E non ci indurre in tentatione: ma liberaci dal male. Percioche tuo è il regno, la potentia, è la gloria in ſempiterno, Amen.

¶ IVDAEORVM lingua eadem eſt, quæ Hebræa.

¶ IVHRI, vide Hungari Iidem ſunt Vgri. Rhuteni quidem pro g pronunciant h: pro Iugra, Iuhra.

¶ KOPTITAE linguâ utuntur Ægyptiaca.

Laconica lingua affinis Doricæ.

¶ LACONVM ut regio à media Græcia remotior eſt: ſic lingua etiam eorum à communi receſsit longiùs, &, ut apparet in plurimis ad Doricam accedit. Lacedæmonii Crœſi tempore inter Dores excelluerunt, Herodotus. Gloſſæ quædam, id eſt dictiones huic linguæ peculiares, ab Heſychio annotantur: ut Κλαὶ, κλινάριον μικρὸν. Nuces magnas μυκήρας vocabant, τηνίας autem nuces dulces, Athenæus libro ſecundo. Et pauló pòſt, Μυκήρας Lacones vocant amygdala. Plutarchus Laconum apophthegmata copioſè deſcripſit: & in vita quóque Lycurgi multa Laconum tum vocabula, tum dicta enumerat. τὶν pro σοι, ἄμμες pro ἡμεῖς. τῆνας pro ἐκείνας. Chorus

rus Laconũ (inquit) ex tribus ætatibus constabat. Senes primô canebant, Ἀμμες ποτ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι. Deinde viri seu juvenes, Ἀμμες ὄγ' ὄμεν, αἱ δ' ἐλῆς, πειραν λαβέ. Postremò pueri, Ἀμμες δέγ' ἐσόμεθα πολλῶ χρείσονες.

¶ DE LATINA lingua nonnihil dictum est suprà: quòd una sit ex tribus cultioribus; quarum comparatione cæteræ omnes barbaræ dicuntur: quòd antiquissima, & multa à Græcis mutuata sit. *Latina lingua una ex tribus cultioribus.*

Quòd apud nostros (Latinos) quatuor idiomatum genera fuisse tradantur, id est, *Priscum, Latinum, Romanum, & Mixtum*, ex Petri Criniti de honesta disciplibro 3. cap. 3. constat: *Hæc quadruplex.*

Relatum est quatuor fuisse apud nostros linguarum proprietates, hoc est Priscam, Latinam, Romanam, Mixtam: quod ex Varronis authoritate Grammatici veteres tradunt. *Prisca* est; qua vetustissimi Italiæ populi, sub jano videlicet & Saturno regibus, usi sunt: cujusmodi carmina quædam incondita, parumq; nostris intellecta adhuc supersunt: ut Saliorum & Argeorum sacra, de quibus Varro etiam Terentius meminit. *Latina* verò; quam sub Latino & regibus Tusciæ cæteri quidem populi in ipso Latio loque- *1. Prisca.* *2. Latina.*

bantur : qua tabulæ decemvirales scriptæ sunt, ac sacræ leges, & publica quædam edicta.

3. Romana. *Romana*; quæ, post exactos reges Romanos, populi gesta complexa est. nam & hanc ipsam inter poetas M. Plautus, Nævius, Accius Pacuvius, Ennius & P. Virgilius maximè coluerunt : ex oratoribus autem & historicis M. Cato, Sisenna, Quadrigarius, Val Antias, Cæsar & M. Cicero.

4. Mixta. *Mixta* verò ; quæ aucto imperio & libertate amissâ, varios populos ac nationes in jura civitatis admisit, quo factũ est, ut Romana virtus ac loquendi juxtá integritas passim cum moribus degeneraret Neq; autem me latet Latinam quidé doctriná ex multiplici varioq; idiomate constare. Siquidem & Osca & Sabina vocabula à multis olim recepta sunt, ut Punica nunc omittamus. Nam & Q. Ennius Oscè locutus est, tum Hetruscas alii fabulas exposuerunt, sicuti Livius & M. Cicero alicubi testantur. In Latinâ linguâ sacrosancta quoq; Biblia descripta continentur.

¶ LIBYES circa Cyrenen Apostolos in Pentecoste Hierosolymis suâ dialecto loquentes mirati sunt.

¶ LIGVRES Hetruriæ pars sunt, & ipsi Hetruscâ linguâ, ut conjicio, olim usi nam ut Padum à profunditate Hetrusci *Botigon* vocaverunt ; sic Ligures *Botigum* , M. Porcio

Portio Catone teste.

¶ LITHVANIA olim suum Ducem Magnum habuit, nunc regi Poloniæ subjicitur, Sigismundus liber. Lithuania & Samogithia provinciæ, licet Rhutenis intermixtæ sint, ac proprio idiomate rituq; Romano utantur: earum tamen incolæ ex bonâ parte sunt Rutheni, Idem.

Lithuanorum (alii per t sine aspiratione scribunt) lingua, inquit Matthias à Michou, est quadripartita. Prima est *Iaczuingorum*, ut horum; qui circa castrum Drohicin habitârunt; quorum pauci supersunt. Altera *Lithuanorum* & Samogitharum. Tertia *Prutenica*. Quarta in *Lothua* seu *Lothihola*, id est, Livonia, circa fluvium Dzuina & Rigam civitatem. Et horum quanquam eadem sit lingua (*videtur sentire linguam unam esse: linguagium ipse vocat, sed quatuor dialectis distinctam:*) unus tamen non satis alterum intelligit, nisi peregrinatus & vagatus per illas terras. Habuit hæc lingua quadripartita tempore idololatriæ pontificem maximũ unum, quem *Crine* appellabant, morantem in civitate Romoue, à Roma dicta. quoniam hæc lingua de Italia jactat se advenisse, & habet nonnulla vocabula Italica in suo sermone. Porrò in Prussia jam pauci proferunt Ruthenicum sermonẽ: subintravit enim lingua Po-

Lithuanorum lingua l. 2. quadrup.
1. Iaczuingorum.
2. Lithuanorum.
3. Prutenorum.
4. Liverũ.

lonorum & Almannorum. Sic & in Lothua pauci ruſtici profitentur hanc linguam, quòd Almannica ſubintrârit. In Samogithia autem; quæ eſt longitudinis quinquaginta miliariorum: & in Lithuania; quæ in longum triginta miliaria continet, in pagis Lithuanicè loquuntur, & in magna parte Polonicè. Nam & ſermone Polonico ſacerdotes in eccleſijs concionantur. Cæterùm harum regionum incolæ omnes Eccleſiam Romanam agnoſcunt: in aliis autem circumjacentibus, ut in Novigrod, in Pleſcovia, in Polocko, in Smolenſco, & in meridiem uſque poſt Kion Ruteni ſunt omnes, & Rutenicè ſeu Sclavonicè loquuntur, ritumque Græcorum obſervant: & obedientiam Conſtantinopolitano Patriarchæ præſtant. Sunt etiam Tartari in ducatu Lithuaniæ circa Vilnam, qui Duci parent: loquuntur verò Tartaricè & Mahumetem colunt, Hactenus Matthias à Michou.

Ruteni.

Tartari

Alii Lithuanos ſimpliciter Illyricè loqui ſcribunt. Oritur in Lithuania fluvius Boryſthenes; qui deinde per Ruſsiam fluens in mare exit Ponticum. Ptolemæus Galindos, Bodmos, Sudinos, Sevinos, Hamaxobios & Cariones ibi poſuiſſe videtur. Bilibaldus Pirckeymerus. Vide infrà etiam in Moſchovitis.

¶ LIVONVM vel Livorum & Lituanorum & Curorum lingua eadem est, quæ verus Prussica: dialectis tantùm variant. Vide suprà in Britannica vetere, & in Lithuanorum linguâ. Alii Livos & LVSATIOS Illyricè loqui ajunt.

¶ LYDI aut Phryges panem βίκος vocabant. Suidas in ξεκκεσέλ. Βαθυῤῥηγάλη, milvus apud Lydos, Hesychius.

¶ LYGORVM sermo Illyricus est.

¶ MACEDONES mediterranei linguâ Illyricâ utuntur, ut audio. Macedones numerum κοῖον appellant, ajt Athenæus. Veteres quidem Macedoniæ incolas linguâ Græcâ, sed dialecto glossisq́, distinctâ, olim usos fuisse non dubito: quod vel ex vetustis mensium apud ipsos nomenclaturis colligi potest; quos duodecim Zodiaci animalium nominibus appellant, quæ sunt: Αἰγόκερως, ὑδροχόος, ἰχθῦς, κριὸς, ταῦρος, δίδυμος, καρκῖνος, λέων, παρθένος, ζυγὸς, σκορπίος, τοξότης. Βίδυ aqua vel aër, linguâ Phrygum vel Macedonum, Clemens Stromat. quinto. Argæus rex Macedonum virgines (quæ suo conspectu & numero, cùm se eminus tanquam viros ostentassent, hostem terruerunt) quas antea κλωδόνας Macedones appellabant, propter virorum imitatio-

Macedones Græcè loquuti: hodierni Illyricè.

nem ut μιμαλλόνες dicerentur decreto jussit, Polyænus Strategematum libro 4. Κλωδόνες bacchæ Dionysii apud Macedones, Mimallones postea ab imitatione dictæ, Varinus. Videntur Clodones dictæ quasi cladones, à quatiendo, quòd thyrsos veluti hastas concuterent. Macedones mediterranei Illyricè loquuntur.

¶ MARSIGNI & Burii, qui terga Marcomanorum Quadorumque claudunt (*id est retro Sleſiam & Moraviam habitant*) sermone cultuq; Suevos referunt, Corn. Tacit.

¶ MAXOBII, aliâs Maxobitæ, Illyricè loquuntur.

¶ MEDI & MESOPOTAMIAE incolæ Apostolos Domini Hierosolymis suâ linguâ loquentes in Pentecoste mirantur. Medicanè spaca vocant, ut scribit Herodotus: quod nomen ad Illyricum pos vel pas accedit.

¶ MEISI vel Mysi Illyricè loquuntur.

Item MENGRELLI, vide in Gazaris.

¶ MOLDAVI, MORAVI, & MORLACI Illyricè loquuntur.

¶ MONAE insulæ sub ditione Anglorum linguam ab aliis prorsus differre audio.

Moscovitarum lingua confusa linguis exterum.

¶ MOSCOVITAE vel Moschi, Sclavonicâ linguâ utuntur, licet externis linguis sic sit confusa, ut Sclavus & Moscovita se invicem non intelligant, Munsterus. Moscovia

Russia

Russiæ caput est, tuamq; ditionem per Scythiam longè latèq; extendit. Est autem eadem Moscovitica lingua cum Rhutenica & Sclavonica, inquit Sigismundus Liber; qui in Rerum Moscoviticarũ commentariis plurima hujus linguæ vocabula tum propria tum alia affert: & ab initio operis de Rhutenorum peculiari circa literas quasdã pronunciatione observationes suas scribit.

Antonius Vuied, Vuildę in Lithuania natus, tabulam chorographicam ejus regionis publicavit, anno salutis 1542. in qua etiam alphabetum, quo Moscovitæ & Lithuani utuntur, Græco non dissimile, sed characteribus aliquot auctùs proponit.

Incolæ Vstyug provinciæ Moscoviæ idioma proprium & characteres proprios habent, quamvis Rhutenico magis utuntur, Sigismundus Liber.

Bielojesero civitas est Moscoviæ (vel Scythiæ ad Septentrionem remotioris) cum castro ad lacum ingentem ejusdem nominis. Sonat autem hoc nomen Rhutenis lacum album: hujus loci indigenæ proprium habens idioma, quamvis nunc fermè omnes Rhutenicè loquantur, Idem.

Russi vel Rutheni, iidę qui Moscovitę sunt. in Moschorum linguâ audio permulta esse

Moscovitæ iidem, quæ Russi vel Rutheni.

Græca vocabula, ut & ritus religionis est. Nuper quidam Suevos illic olim primùm habitâsse asseruit; inde ad Carpathum montem, ad Albim, & demum ad eos; in quibus nunc sunt, locos concessisse, signum esse, pleraque locorum nomina in Moscovia originis Germanicæ.

¶ MOZAMBIQVENSES linguâ utuntur Arabicâ.

¶ MYSII, vel Meisi, linguâ utuntur Illyricâ.

¶ NVBIANI barbarâ utuntur linguâ.

¶ NVGAROLI Illyricè loquuntur.

¶ OBODRITAE, aliâs Obotriti, item o. HVLICI lingua utuntur Illyrica.

¶ OSCI, qui nunc Capuani. Voloſci, quos vocamus Volscos, M. Porcius Cato. Osci antiqui Italiæ populi in Campania ab oris fœditate dicti, Grammatici quidam. Oscum aliquando significat sacrum, (nimirum ὅσιον.) unde & leges sacratæ *oscæ* dicuntur, (*videtur hic aliquid deesse: fortè, Et aliquando turpe vel spurcum.*) & in omnibus ferè antiquis commentariis scribitur *opicum* pro osco, ut in Titinnii fabula Quinta: Qui Oscè & Volscè fabulantur, nam Latinè nesciunt, à quo etiam verba impudentia & elata appellantur obscœna; quia frequentissimus fuit Oscis libidinum spurcarum usus.

Sed

Sed eodem etiam nomine appellatur locus in agro Vejenti ; quo frui soliti proeuntur augures Romani, Festus. Q. Ennius Oscè locutus est, Crinitus. Volsci populus antiquus mediterraneus in Latio vel Tuscia; qui Turno suppetias tulit adversus Aeneam. Meminit eorum Mela lib. 2. in descriptione Italiæ.

¶ Osi Pannonicè loquuntur, vide Gothini.

¶ Pamphylii Apostolos Spiritus sancti dono diversis linguis & suâ etiam Hierosolymis in Pentecoste loquentes summa cum admiratione audiunt.

¶ Pannoniae pars Illyricè loquitur. Pannonicè loquuntur Osi, Tacitus. Vide suprà in Hungarica lingua.

¶ Parthi Apostolos Iesu Christi Hierosolymis suo sermone loquentes in Pentecoste admirabantur. Parthis σίμωρ genus quoddam muris sylvatici significare invenio.

¶ Pelasgorvm linguæ meminit Herodotus lib. 1. ubi nos Vallæ translationem ad Græcum codicem emendavimus. Sic autem scribit: Comperit Crœsus Lacedæmonios atque Athenienses potentissimos Græcorum esse: quòd illi in Dorico genere, hi in Ionico antecellerent. Nam de his ita antea

Pelasgi barbarâ linguâ usi.

judicabatur: cùm ab initio altera gens foret Pelasgica, altera Hellenica, id est, Græca; quarum hæc nunquam solum mutavit, illa assiduè multum q; erat pervagata. Etenim sub Deucalione rege oram Phthiotidem incoluit: sub Doro Hellenis filio tractum, qui ad Ossam & Olympum jacet, nomine Istiæotim: unde a Cadmæis ejecta, coluit in Pindo locum, quem vocant Macednum. Rursus in Dryopidem commigravit, atque ita in Peloponnesum venit, Dorica; que cognominata est. Porrò qua lingua Pelasgi sint usi, affirmare non possum, sed conjectura licet dicere, eandem fuisse cum ea, qua nunc Pelasgi utuntur, qui supra Tyrrhenos urbem Crestonem incolunt, quodam tempore finitimi eorum, qui nunc Dôres vocantur. Tunc autem incolebant Dôres regionem, quæ nunc Thessaliôtis nominatur, & Placiam & Scylacen, cùm Pelasgi habitarent in Hellesponto, qui conterminì (τύρσικοι) Athenienſium erant. Sed multa Pelasgica oppida nomen immutâ unt. Quibus signis conjectantes oportet dicere Pelasgos barbarâ linguâ fuisse. Quod si tota gens Pelasgica talis (*id est, barbara*) erat, gentem Atticam utpote Pelasgicam, cùm in Hellenes, id est, Græcos, transiit, linguam simul istorum amisisse. Etenim neque Crestonitarum loquela cum ullo circà po-

Phthiotis.

Istiæotis

Macednum Dryopis. Dores in Peloponnesso

Crestan.

Dores.

cà populorum consentit, & Placianorum similiter. Communis verò ipsis (*Crestionatis & Placianis*) est lingua. Per quod declarant, quam linguę figuram obtinebant, cùm in hęc loca transierunt, eandem se nunc conservare. At natio Hellenica, id est, Græca, ex quo existit, eâdem linguâ semper est usa, ut mihi videtur. Et quanquam imbecillis primùm, quod ex Pelasgica esset abscissa, & exiguo initio profecta, mox in multas aucta est gentes, tum aliarum, tum barbararum gentium frequentia se ad illam conferente. Cæterùm gens Pelasgica quòd barbara esset, eam ob causam nequaquam magnos profectus fecisse mihi videtur.

Græci lingua usi semper eadem.

¶ PERSARVM lingua ab Ægyptiaca & judaica diversa est, ut suprà in Ægyptiaca ostensum est. Cum Illyrica quoque & Armenicà nihil commune habet. Multa hujus linguæ vocabula & locutiones docet Bartolomæus Georgevitius in libello suo de afflictione Christianorum sub Turcis, Latinè ante paucos annos in Germania impresso Vuormaciæ. Appellat autem eandem Persicam & Turcicam linguam.

Persa lingua eadem quæ Turcica.

Vaticinium Persico Latinum, ex eodem Bartolemæi libro descriptum.

Patiſſah homozghelur, Ciaferum memlekeu *Imperator noſter veniet, ethnici principis regnũ*
alur, keuzul almai alur, kapzeiler, *capiet, rubrum pomum capiet, ſubiget.*
jedi yladegh gyaur keleci
† Scilicet Christianorum. *Quod ſi annum uſq; ſeptimum gladius†*
cſikmaſſe, on iki yladegh onlarum beghli *non inſurrexerit, uſq; ad annũ duodecimũ eius*
gheder: eufi japar, baghi diker, bahoſai *ædificabit, domos ædificabit, vineas plãtabit, hortos*
baghlar, ogli kezi olur. on iki yldenſſora *ſeret, liberos procreabit, poſt duodecimum*
ſcilicet annum, ex quo rubrum pomum in ejus
poteſtatem redactum fuerit.
Hriſtianon keleci cſikar, ol Turki *Chriſtianorũ gladius apparebit, qui Turcam*
quaquaverſum fugabit.
ghereſsine tuſkure. Sic habet vaticinium cum Georgevitii interpretatione, quam ego de verbo ad verbum Perſicis vocabulis accommodare conatus ſum, haud ſcio an ubique aſſecutus. dubito quidem circa vocem cſikmaſſe, quam expoſui, *non inſurrexerit.* & circa yldenſſora, quam reddidi *duodecimum*, cùm ſuperiùs onlarum ſimiliter verterim.

Perſica vocabula multa Andreas Belluneníis interpretatur in gloſsis Avicennæ. Convivium regis in natali regis quotannis celebratur: id Perſicè (Πασισὶ) vocatur τυκ

τὰ:

τὰ ἑλληνιστὶ δὲ τέλειον, Herodotus libro 9. ut citat Athenæus. *Parasanga, schœnus & stadius* mensurarum (de terræ spatiis) nomina Persica etiam à Græcis nonnullis usurpantur, idem Athenæus lib. 3. *Sûsan* lilium Persis significat, & Σοῦσα urbs nominata est propter pulchritudinem & amœnitatem loci, Idem. Magi dicuntur sapientes linguâ Persarum, Porphyrius. Plinius scribit, Scythas vocatos esse Sacas à Persis, & lingua Persica Aramæos. Persica animalium nomina plurima in nostris de quadrupedibus & avibus libris posuimus, quæ index ab initio singulorum correcta ostendit.

¶ PHOENICVM lingua, vide Punica.

¶ PHRYGVM linguâ *beccus* panem significat, ut pluribus scribit Herodotus lib. 2. ubi Psammetichum Ægyptiorum regem hoc argumento Phryges hominum primos fuisse ait conjeciisse, quòd infantes ejus jussu à capris operâ pastorum, vel à mulieribus, quarum linguæ erant præcisæ, biennio educati, ut primùm inarticulatè vagire destiterint, hoc nomen beccus primùm protulerint. Hujus rei Diodorus Siculus quoque meminit. Suidas in vocabulo Βεκκεσέλινε (ex Scholiis in Aristophanem) Lydos, inquit, aut Phryges panem appellare βέκκον, per κ simplex.

Phrygum lingua antiquissima olim habita.

plex. Noſtri quidem Germani piſtorem vocant bekk. Quòd ſi infantes illi à capris nutriti ſunt, nil mirum, ſi hæc vocem balantium caprarum quadam imitatione primùm protulerunt, nec ideò Phryges hominum primos fuiſſe, quiſquam rectè aut neceſſariò affirmârit. *Noricum* Phryges utrem appellant, Euſtathius in Dionyſium. *Bedy* aqua vel aër dicitur, linguâ Phrygum aut Macedonum, Clemens Alexandrinus Stromateon quinto. Vocabulum πῦρ fortè barbaricum eſt: neque enim facilè ad aliquam vocem ſive originem Græcam accommodatur: & ita vocatur à Phrygibus modicè deflexâ voce: itemq; ὕδωρ & κύνες, & alia multa, Plato in Cratylo. Erinaceus Phrygum lingua *exis* vel *exin* dicitur. *Gallus* exectus teſtibus, Xenophon de æquivocis. Phryges Hieroſolymis Apoſtolos ſua lingua loquentes in Penteceſte mirantur.

¶ PLACIANORVM lingua, vide in Pelaſgica. Eſt autem Placia urbs Myſiæ juxta Cyzicum Mileſiorum oppidum.

¶ PLESCOVII vel Pleſcovienſes, POLABI, POLONI majores & minores, & POMERANI Illyricè loquuntur.

¶ PRVSSICA lingua vetus, vide ſuprà in Britannica vetere: & in Lithuanorum lin-

gua

gua, de Prutenica. Nam Prussiæ incolæ & Pruteni dicuntur, & lingua olim diversa usi sunt: postquam verò Teutonicorum fratrum jugum subiêre, lingua Teutonica introducta est, & religio Christiana accepta Frederic. Imperatoris II. temporibus.

¶ PVNICA lingua *Hal* dicitur Deus, Servius in Vergilium. *Gadir* Punica lingua sæpem significat, Plinius lib. 4. cap. 22. *Zegeries* Pœnis genus suarum murium. Græcè βουνὸς dixeris, (Valla *colles* transfert,) Herodotus libro 4. Vide Galeothum in Variis. Extat Guil. Postelli de Phœnicum literis, seu de prisco Latinæ & Græcæ linguæ characte re, ejusque antiquissima origine & usu, commentatiuncula publicata Parisiis anno 1552. Hebraicam autem & Phœnicum linguam eandem facit, omnium antiquissimam. De Africana lingua scriptum est suprà. *Punica lingua affinis Hebraica.*

¶ QVILOENSES Arabica utuntur lingua

¶ RASCII, alias Rasci seu Bulgari, Illyricè loquuntur.

¶ RHAETORVM, pars, qui Alpes inter Helvetiam & Italiam sive Galliam Cisalpinam, Helvetiis confederati, incolunt, sermone Italico omnium corruptissimo utuntur, adeò ut antè nostrâ memoriâ nihil in literas hôc sermone scriptum referretur, sed Latinè tantùm, & non ita pridem Germanicè. Pri *Rhætica lingua corruptissima.*

mus noſtro ſæculo vir doctrinâ & pietate clarus Iacobus Bifrons, Rhætus, hanc linguam ſcriptis illuſtrare & publicare incœpit, qui catechiſmum etiam ſacroſanctæ religionis noſtræ è Germanico in hunc ſermonem convertit, excuſum Puſclavii, anno ſalutis 1552.

Oratio Dominica in vernaculo Rhætorum ſermone; quem ipſi vulgò Romanum appellant, (ut & ſuum Sabaudi,) noſtri
Churweltſch.

Bap noaſs, tü quell chi éſch in ls tſchéls: fatt ſaingk uénnga ilg teis nuom: ilg teis ragin am uéng naun proa: la tia uœllga dwain taſchkoa in tſchél, uſchè eir in terra. Noaſs paun d' minchiady daa a nuo hoàtz: e pardunaa nuo ils noas dabitts, ſchkoa eir, nuo pardunain a ls noaſs dabittaduors. E nun ns' manar in prowamaint, moa ans ſpendra da lg maal. Parchiai chia teis ais ilg raginam è la puſſaunt za, é lg laud, in étern. Amen.

Rhæti orti non a Romanis, ſed a Tuſcis.

Rhæti non à Romanis, ut vulgò putant, ſed à Tuſcis originem traxêre. Hos Livius nihil ſcribit ex antiquo præter ſonum linguæ, nec eum incorruptum retinuiſſe. Cæterùm Rhætica lingua, ut auctor eſt Ægidius Tſchudus, intra centum quinquaginta annos plurimùm apud Rhætos interiit, Germanica

minicâ indies invalescente, ut hodie non solùm Curienses, verùm & qui remotiores sunt Germanicè loquantur, qui haud longè suprà ævum nostrum Italicè loquebantur: si modò corruptissima eorum lingua Italica est censenda, quæ & olim tempore Livii, & hodie, usq; adeò depravata est, ut Tusci, qui hodie sunt in Italia, eos loquentes minimè intelligant, quamvis unius sint nationis & ab unâ gente descenderint.

¶ ROMANA lingua, vide suprà in Latina.

¶ RVGI Illyricè loquuntur.

¶ RVTHENORVM vel Russorum incolarum lingua eadem, quæ Moscovitica. Russorum vocabuli rationem Sigismundus Liber Baro explicat ab initio historiæ suæ Moscoviticæ. Ruthenos Æneas Pius Roxanos: aliqui etiam Russanos scribunt.

¶ SABINORVM Dea, Juno, Quirinali monti Romæ nomen indidit, quam illi *Curitim*, id est, hastatam junonem vocant. Etenim hastam *curim* & *curinam* proferunt: quia his simul & Hetruscis non est litera q. sicut Romanis. inde Quirites, Cato in libro Originum. Quòd Romani Sabinis prænomen acceperint, ex fœdere cum Romanis facto, P. Crinitus 3. 4. Sabina vecabula à multis Latinis olim recepta sunt, Idem. *Sabinorum lingua in pluribus affinis Latinæ.*

¶ SAMARITANI in Syria in urbe Si-

Samaritanorum lingua propriis tantùm characteribus in cæteris Hebraicæ similis.

chem, omnes veteris Testamenti libros præter Mosaicos aspernantur, & characteribus propriis (convenientibus tamen cum alphabeti communis Hebraici literarũ numero, sono & nominibus, figurâ tantùm differentes quod & D. Hieronymus testatur) utuntur: quos etiam vulgaribus apud Iudæos usitatis antiquiores esse ajunt, ut pluribus docet Guil. Postellus in libro de Phœnicum literis.

¶ SAMOGITAE Illyricè loquuntur, vide in Lithuanorum lingua.

¶ SARBI, vide Sorabi.

Sardorum lingua corrupta ab aliis.

¶ SARDI olim linguam habuere propriam: sed postquam diversi populi in eorum regionem migraverunt, & ab externis principibus imperium ejus usurpatum fuit, nempe Latinis, Pisanis, Genuensibus, Hispanis & Afris, lingua eorum admodum corrupta est: relictis tamen plurimis vocabulis, quæ in alia nulla reperiuntur. Latini sermonis adhuc multa tenet vocabula, præsertim in Barbariæ montibus, ubi Romani Imperatores militum habebant præsidia, ut l. ij. C. de officio præfecti præ. Afric. Hinc est, quòd Sardi in diversis locis tam diversè loquuntur, propter imperiorum varietatem: ipsi tamen se inter se rectè intelligunt. Sunt autem duæ præcipuæ in ea insula linguæ: una, qua in ci-

lo civitatibus: & altera; qua extra civitates utuntur, Oppidani loquuntur ferè lingua Hispanica, Tarraconensi seu Caralana, quam didicerunt ab Hispanis; qui plerunque magistratum in ijsdem gerunt civitatibus: alii verò genuinam retinent Sardorum linguam

Oratio Dominica in Sardorum oppidanorum lingua.

Pare nostre, che ses en los cels: Sia sanct fi cat lo nom teu: Venga lo regne teu: Fasase la volunta tua, axicom en lo cel, i en la terra. Lo pa nostre corida dona a nos altres hui: idexia a nos altres los deutes nostres, axicom i nos altres dexiam als deutois nostres. I no nos induescas en la tentatio: mas liura nos del mal. Perche teu es lo regne, la gloria, i lo imperii, en los figles de le figles. Amen.

Eadem in Sardorum communiori linguâ, extra civitates.

Babu nostru, sughale ses in soschelus: Santusiada su nomine tuo: Bengiad su reunu tuo: Faciadsi sa voluntade tua, comenti in chelo & in sa terra. Su pane nostrũ dogniedie dona a nos ateros hoæ: et lassa a nos ateros is

debitus noſtrus, comente e noſateros laſſa-os a iſdebitores noſtr os. Et no nos portis in ſa tentatione: impero libera nos da ſu male. Poiteo tuo eſti ſu rennu, ſa gloria, ſu imperiu in los ſeculos de los ſeculos. Amen.

¶ SARMATAE, qui Poloni dicuntur, Illyricè ſonant. Tempore Nini, Babyloniorum regis, Thuyſcon gigas Sarmatas legibus formatapud Rhenum, Beroſus.

¶ SCIRI, aliâs Scyri, id eſt, Stirii vel Stirenſes, à Gothis oriundi, vide Vandali.

¶ SCLAVI, vel Slavi potiùs, Illyricè loquuntur.

¶ SCOTORVM linguam communiorem audio parum differre ab Anglica, ſed pauciora Gallica habere admixta. Scoti (ſylveſtres & inſulani) hodiè moribus non differunt ab Hibernis, inquit Munſterus: à quibus originem duxerunt: nec magnum eſt inter ipſos intervallum. Nam cùm cœlum eſt ſerenum, poteſt Hibernia videri in Scotia. Eſt præterea indiſcreta lingua eorum, indiſcreti mores & veſtitus. Qui meliorem terræ incolunt partem, nempe meridionalem, hi bene morati ſunt, &, ut humaniores, linguâ utuntur Anglicâ.

Scytharũ multæ diverſæ linguæ.

¶ SCYTHARVM regio cùm longè lateque Septentrionem verſus ad Oceanum extendatur, per maximâ Aſiæ, & aliquam etiam Eu-

Europæ partem, multas diversasq; in ea linguas esse verisimile est, Germanos etiã ab aliquibus Scythas dici suprà ostensum est. De Armenia Scythica, suprà in Armeniá & in Hetrusâ linguis dictum est: ut de Hungarica quoque suo loco. Descenderunt autem Hungari à juxta Scythię suprà Tanaim populis, apud quo eadem adhuc lingua exercetur. De Tartarica paulò post dicemus. Μασσαγὸς Scythicè (Σκυθιστὶ) oculus est, Eustathius in Dionysium. Propè Tanaim Scythiæ fluvium situs est mons, quem incolæ suâ dialecto Βριξάβα vocant, quod sonat arietis frontem, propter aureum arietem illum, quo vectus est Phryxus, qui in eo apparuit. In eo monte Phrixa herba nascitur, quam Græcè dixeris μισοπόνηρον. Plutarchus in libro de fluviis. Cyganus à Scythis agla nominatur, canis παγάιν, Phavorinus.

¶ SERVII vide Sorabi.

¶ SLESII, vel Silesii, aliâs Slesitæ, Illyricam linguam habent. item SMOLNENSES.

¶ SORABI, aliâs Sarbi, hodie (puto) Servii, Illyricè loquuntur.

¶ SVEVI, vide in Germanica & Illyrica linguis.

¶ SIRORVM lingua, vide Chaldaica.

Tartarum linguæ variè atque diversæ.

¶ TARTARORVM imperium latissimè patet, maxima Asiæ Scythiæque parte, & in Europam usque pertinet. Et haud scio, an ulla hodie monarchia locorum & regionum numero cum Tartarica conferri possit, si vera sunt M. Pauli Veneti scripta. In ea cùm plurima regna sint, linguas quoque multas atque omnino diversas esse, non est dubium. Tartaricam tamen appellandam putamus unam; quæ præ cæteris fortè latiùs obtinet, & Europæ Turcæque imperio propior est, & in iis regionibus, quas Tartarorum Imperator magis frequentat in communiore usu. De reliquarū nonnullis Pauli Veneti verba recitabo inferiùs in Capite de linguis variis. Tartarum non tam gentis quàm religionis nomen esse, Matthæus à Michou (si bene memini) prodidit. Sequuntur autem Tartari Mahometis sectam.

Altissima Carpathi montis juga in Hungaria, Slavorum linguâ appellantur Tatri, hoc est Tatari: quod in regionem Tatarorum, qui veteribus sunt Getæ, vulgi opinione protendantur, Ge. Vuernherus. Sed fortè Getæ Gothive, non simpliciter Tatari, sed Tataris subjecti dicendi sunt.

Supra mare Hyrcanum & meridiem versus Zagathai habitabant Tartari, non amplius jam in campis, sed civitatibus lapidibus con-

conſtructis; ex quibus præcipua eſt Samarcanda, quam jaxartes, maximus Sogdianæ fluvius, interluit; qui & in mare Caſpium ſe exonerat. Hujus conditor Tamerlanus fuiſſe dicitur: cum quibus dum Sophi rex Perſa rum bellum noſtrâ gereret ætate, à Selymo Turcarum Imperatore invaſus & victus eſt: qui & illi quicquid in Armenia poſsidebat, unà cum Tauriſio regni capite ademit, Bilibaldus Pirkeimerus. Non ignorandum, inquit idem, eam gentem, quæ hodie Turcarum appellatur nomine, à Tartaris ortum ſumpſiſſe, quòd non ſolùm una & eadem lingua, ritus, victus & veſtitus, ſed & equitandi ac bellandi uſus, nec non fraudes, perfidia & innata barbaries oſtendit & feritas. Falluntur igitur, qui Turcarum gentem antiquiſsimam, aut Turcimanos eſſe putant: cùm parùm plùs ſint, quàm trecenti anni, ex quo primùm Tartarorũ nomen, antea penitus incognitũ, ſit auditum: poſt quorum adventum Ottomannus ſe à Tartaris ſejunxit, ac cum ſuis Turcarum nomen aſſumpſit. Tartariq; hodierna die Turcas clientes ſuos eſſe dicunt, ac Deum ob peccata eorum, Turcas ſic extulliſſe conqueruntur: quum antea non ſolùm illorum fuerint ſubditi, ſed ruſtici etiam; idq; Turcarum nomine ſigni-

Turcæ.

Sophis

ficari asserunt. Tataris seu Tartaris, ut corruptè vocamus & Turchis, ea est similitudo linguæ, quæ est Anglicæ & Saxonicæ, G. Postellus. Tartarorum linguæ vocabula multa in libris Pauli Veneti & Matthiæ à Michou sparsim leguntur. Natigai hac linguâ Deum terræ significat. Georgianorum, de quibus suprà diximus, lingua Tartaricæ & Armenicæ media est.

Thracum eadem lingua, quæ Getarum.

¶ In THRACIAM nostris annis Aelius Cato ex Transistrana regione quinquaginta Getarum millia illic habitatura trà duxit, quæ gens eâdem, qua Thraces, utitur lingua; qui hac etiam ætate ibidem habitant, Mysíque vocitantur, videlicet quia & priùs eo nuncupabantur nomine, Strabo libro 7 Γίνται Thraciè (Θρᾳκιστὶ) carnes vel membra sunt, Varinus. Ἀββάβαξ, salvator vel blasphemus linguâ Thracica, Eustathius. De Crestoniatarum linguâ, suprà in Pelasgica dictum est: fuit autem Creston urbs Thraciæ.

¶ TRANSYLVANI, Illyricè loquuntur.

¶ THESSALICA lingua genere Græca fuit: dialectus autem ejus ad Doricam maximè accedere videtur. Lingua Thessala Peliades & columbæ vaticinatrices vocantur, Servius.

¶ TRO-

¶ TROGLODYTAS Æthiopes dialecto ſua ſtrident (τριγμασιν) inſtar veſpertilionum, Herodotus. De linguâ Troglodytarum in Africâ, ſcriptum eſt in Æthiopicâ.

¶ TVRCARVM linguam aliqui eandem cum Perſicâ: alii ab Armenicâ & Tartaricâ nihil aut parum differre volunt, de quibus in præcedentibus à nobis ſcriptum eſt. Tataris ſeu Tartaris, & Turchis, ea eſt ſimilitudo linguæ, quæ eſt Anglicæ & Saxonicæ, Guil. Poſtellus. Turcica & Arabica lingua diverſæ ſunt, ſed characteribus iiſdem utuntur, Bellonius. Inte mename, Turcicè ſonat, Vnde es tu? Lodoicus Patritius. Avium multa nomina in Turchicâ vel Natolia (ſic Aſiam minorem vocant) lingua in noſtra de Avibus hiſtoria annotavimus: quæ in operis indice conjuncta ſunt. *Turcica lingua vanias.*

¶ VASCONES Gallos audio, in quadam parte Vaſconiæ, in collibus, qui à Pyrenæis extenduntur, propriam omnino linguam loqui.

¶ VALACHIA perquàm lata regio eſt, à Tranſſylvanis incipiens, uſq; in Euxinum protenſa pelagus, plana fermè tota, & aquarum indiga: cujus meridiem Iſter fluvius excipit, Septentrionè Roxani occupant, quos noſtra ætas Ruthenos appellat, & verſus fluvium Thirannomadas Scytharũ genus quos *Valachia lingua affinis Romana vel Italica.*

Tartaros hodie vocitamus. Hanc terram incoluerunt quondam Getæ, qui & Darium Hystaspis filium turpi fugâ repulerunt, & Lysimachum regem vivum in potestatem pertraxerunt, & Thraciam pluribus cladibus affecerunt. Postremò Romanis armis subacti ac deleti sunt. Et colonia Romanorum eò deducta, duce quodam Flacco, à quo Flaccia nuncupata. Exin longo temporis tractu, corrupto (ut fit) vocabulo, Valachia dicta. Sermo adhuc genti Romanus est, quamuis magna ex parte mutatus, & homini Italico vix intelligibilis, Aeneas Sylvius.

¶ VANDALI, aliâs Vuandali, & VENEDI Illyrico sermone utuntur. Vide suprà in Illyriis.

¶ VELTAE etiam, VILLACI, VVAGRII, VVINVLI, ZADRAVANI, & ZAGOVANI Illyricè loquuntur.

CAPVT III.

De Linguis diversis in remotissimis terris imperii Tartarici & Orbis novi.

IN Adria versus Istriam, non procul Polâ, insula est, quâ Velam aut Veglam vocant, bidui fortè navigatione, Venetiis distans,

non

non parva: cujus incolas linguâ propriâ uti audio, quæ cum finitimis Illyricâ & Italicâ commune nihil habeat.

Linguam propriam habent.

CYAMBA provincia (regnum) ad Oceanum orientalem. Provinciæ nomine indocti quidam simpliciter pro regione vel regno abutuntur.

CAITACHI populi circa montem Caspium, ex quibus multi Christiani sunt, Iosaphat Barbarus.

LOACH provincia ultima Asiæ versus meridiem.

LACCIVIT regnum in ultima parte Indiæ versus meridiem.

RABANTI regio Asiæ juxta Sericam.

THOLOMAN provincia in Asia versus Septentrionem, quam idololatræ habitant.

Regna TANA, CAMBAETH, SEMENATH, & RESMACORAM, &c. singula habent regem & idioma proprium, Paulus Venetus. Item regnum Gozurath.

BASMAN regnum in Tartaria, Idem lib. 3. cap. 15.

Inter LOP & SACHION regni Tartarici civitates maxima solitudo triginta ferè dierũ itinere sita est. Iuxta Sachion incipit pro-

vincia magna Taguth: ubi inter Mahumeti cultores pauci inveniuntur Christiani Neſtoriani. Sunt quóque ibi plurimi idololatræ, qui linguam propriam habent, Paulus Venetus l.45.

Ad CARAIAM provinciam; quæ ſeptem continet regna, ſub imperio magni regis Cham, pervenitur trajecto flumine Brio. Habet autem linguam propriá & difficilem. Idem 2 39.

ÇHREMACH regio eſt, tribus Tanai itineribus verſus occidentem diſtans: poſt quam multæ ſunt regiones parum diſtantes, quæ linguis utuntur diverſis, nempe Elipeha, Tartarcoſia, Sobai, Chenerthei, & Alania, Ioſaphat Barbarus.

De linguis in Orbe novo.

VARIA idiomata ſunt in variis Cubæ provinciis, Pet. Martyr.

COLONVS decem viros ex Hiſpaniola ſecum in Hiſpaniam adduxit, à quibus poſſe omnium illarum inſularum linguam noſtris literis Latinis, ſine ullo diſcrimine, ſcribi compertum eſt. Vocant enim cœlum turêi, domum bóa, aurum cáuni, virũ bonum tayno, nihili mayâni. Reliquaque omnia vocabula non minùs liquidè proferunt, atque nos Latina noſtra, Pet. Martyr.

In

In MOLVCHIS insulis Novi orbis Manucadiata, id est, avicula Dei, nominatur avis, quam aliqui avê paradisi appellant: alii phœnicem vel rhyntacem, ut Bellonius.

CANARIAE Magnę, id est, Fortunatarum insularum incolæ perraro & submissâ voce loquuntur, ejsdem quibus nos accentibus utentes suas, ut plurimum voces inter dentes & labra formantes, * aliis utuntur vocabulis quàm nos. Plurimæ eorum sunt idiomatum varietates: quoniam à centenario leucarum in centenarium diversitatem linguarum se mutuò nullatenus intelligentium reperimus, Americus Vespucius.

* Hoc fortè est ξίζειν illud, quod de Troglodytis Aethiopibus scribitur.

MEDERAE insulæ Novi orbis nomen est à copia lignorum (& sylvarum.) Id enim indigenarum lingua Medera significat, Aloysius Cadamustus.

COLONVS in Orbe novo reperit tellurem vastam, quam incolæ Quiriquetanam nominant, ipse verò Ciambam nuncupavit. Idiomata sunt penitus alia ab insularibus vicinis, Pet. Martyr. Et mox, Ejus terræ partem orientalê dum inquirit per dies septuaginta propter difficilem oppositi Oceani torrentis navigationem, tandem intervallo leucarum octo tria ingentis flumina reperit. Varia in variis oris regum & primariorum nomina esse ait. Regulum vocant cacicum, a-

libi quebi, tiba verò alicubi. Primarium autem alicubi saccum, alibi jurà Eum, qui strenuè se gessit in pugna hostili, & signatam cicatricibus faciem ostentat, cupram appellant, habentq; pro heróe: Vulgum nuncupant chyuis: hominem alicubi dicunt homem. Accipe homo si quis dicere voluerit, Hoppa home, dicet.

CAPVT IV.

De Lingais quibusdam et vocabulis fictitiis: Et primo quidem de Græcis.

Onomatotheræ.

APud Græcos, ait Rhodiginus, quidam Onomatotherę dicti sunt, id est, velut nominum vēlatores, nova sibi consarcinantes vocabula, rerum intuiti proprietatem: cujusmodi fuisse videtur Siculus Dionysius, qui virginem vocabat Menandrum; quia manet expectatq; virum: stylon verò, id est, columnam Menecratē; quoniam manet continetq;. murium autē conceptacula, (*murium cava, τὰς τῶν μυῶν δισκδύσεις*) rectè dici mysteria conjectabat; quia mures servent. Idem etiam bovē nuncupabat garotan: porcum verò jacchum: (*& jaculum*, ballantion, ὅτι ἐναντίον βάλλεται.) Alexarchus quóq; Vranopolin qui condidit, nomina sibi conformavit, non audita multis. nam gallum orthobóan

thobóan dicebat: drachmam, argyrida: (*tonsorem* βροτοκέρων: *et præconem* ἀπύτην.) chœnica, hemerotrophida. Sic & Atticus Herodes lignum, quod inseritur rotis, trochopedam nuncupavit, quum per acclivia (*declivia*, κατάντεις τόπους) vectaretur, aliis epochlèa vocantibus, Hæc ille ex Athenæi tertio Dipnosophistarum. Idem Alexarchus, ut refert Athenæus, ad Cassandrensium senatores epistolam dedit hujusmodi: Ἀλέξαρχος ὁμάρμων. Πρόμοις (fortè πρόμοις ad inscriptionẽ pertinet, ut epistola incipiat à verbo χαθεῖν) χαθεῖν τὰς ἡλιοκρεῖς ὀιῶν, οἶδα λυπᾶσα θεωτῶν ἔργων κεφαλίωσας μορσίμῳ τύχᾳ κεκυρωμένας θεῖς πόλεως χυτλώσαντες ἀυτὰς, καὶ φύλακας ὁριγενεῖς. Quid verò hæc epistola sibi velit (inquit Athenæus) ne ipsum quidem Pythium dignoscere arbitror. Germanicè etiam vocabula quædam confinguntur ingeniosè, ut vilhelmis pro causia straminea: vilringis pro thoraceannulis concatenato.

Thebani, inquit idem Atheræus lib. 14. novis & raris præcipuè dictionibus gaudent. Sepiam vocant opisthotilan, medicum saclân, pontem phlephyran, ficus tyca hirundines χωτιλάδας, ridere, ἐκκριλέμψυτλω τὸθι σινδ' ἄχολον. *Thebani.*

Thomas Morus, Anglus, vir ingeniosus, Vtopiæ insulæ à se confictæ incolas linguâ peculiari scribit uti, & characteres etiam fingit proprios.

Tetrastichon vernaculâ Vtopiensium linguâ à Moro positum.

Vtopos haboccas peula chama polta chamaan.
Bargol he maglomi maglomi baccan soma gymnosophaon,
Agrama gymnosophon labarem bacha bodamilomin.
Voluala barchin heman, la lauoluola dramme pagloni.

Hoc est:

Vtopus me dux ex non insula fecit insulam.
Vna ego terrarum omnium absque philosophia:
Civitatem philosophicam expressi mortalibus:
Libenter impartio mea, non gravatim accipio meliora.

CAPVT V.

De Zigaris vel Cingaris, quos Germani Zigeuner *vocant.*

ANno post Christum natum 1417., ut scribit Munsterus, primùm in Germania

mania apparére cœperunt homines nigredine informes, excocti Sole, immundi veſte, & uſu rerum omnium fœdi, furtis imprimis intenti: præſertim fœminę ejus gentis. nam viris ex furtis fœminarum victus eſt. Tartaros aut gentiles vulgus vocat, in Italia Cianos appellant. Ducem, comites, milites inter ſe honorant, &c. colluvies hominum mirabilis, omnium perita linguarum. Confinxerunt quidem ſibi propriam quandă linguam, quam Germani vocant Rotweltſch/hoc eſt, rubrum barbariſmum: cûm interim omnibus ferè Europæ linguis utantur. Nam apud Germanos loquuntur Germanicè: apud Gallos Gallicè: apud Italos Italicè, &c. Hæc ille. Memini videre libellum Germanicè publicatum Baſileæ apud Rodolphum Dekk typographum, de mendicis & variis eorum differentiis; in quo linguæ etiam fictitiæ vocabula plurima exponuntur, quæ mox recitabimus. Zogori & Heniochi montana & im- Zogori.
portuoſa colunt loca; quæ Caucaſi partes ſunt. his vita ex maritimis latrociniis fuit. Hanc Zogorum (Zogororum) terram eam eſſe arbitramur, ex qua populi exierint, qui noſtra ætate cum liberis & uxoribus Europam pervagantur, Zigari appellati, inſignes fures & inter noſtros homines Nomadum more viventes, Aeneas Sylvius.

L

ctitiæ Zigarorum, ex libello, cujus ante mentionem fecimus:

oder/

Elemental vnnd Vocabular der Rotwelschen Grammatic vnd sprach/ von den hochgelehrten Camesierern in der wanderschafft Beschriben/ das nit ein yeder Hautz verlunschen vnd Barlen mög/ ꝛc.

Done	Gott.
Achelen	Essen.
Alchen	Gon/ sich trollen.
Alch dich	Gang hin:

mach dich über die weyte: oder/ Alch dich übern glentz.

¶ Breithart	Wythin.
Boß	Hauß.
Boßhart	Fleysch.
Boßhartvetzer	Metzger.
Betzam	Ey.
Barlen	Reden.
Breger	Bettler.
Bregen	Bettlen.
Brieff	Kart.
Brieffen	Karten.
Brissen	Zůtragen.
Bresem	Brůch.
Breuß	Aussetziger.
Blechlin	Creützer.

Blech	Blappart
Bſaffot	Brieff.
Brieffelvetzer	Schreyber.
Boppen	Liegen.
Beſchöcher	Truncken.
Breytfüß	Ganß oder Endt.
Boß Dich	Schweyg.
Bſchuderlin	Edel volck.
Bſiderich	Amptman.
¶ Caveller	Schinder.
Claffot	Kleydt.
Claffotvetzer	Schneyder.
Chriſtian	Jacobsbrüder.
Caval	Roſſz oder Pferd.
¶ Derling	Würffel.
Drittling	Schüh.
Diern	Ehen.
Diffrel	Kilch oder Kirch
Dallinger	Hencker.
Dolman	Galg.
Du ein har	Flüch.
Doul	Pfenning.
Dierling	Aug.
Dippen	Geben.
¶ Erlat	Meiſter.
Erlatin	Meiſterin.
Ems	Güt.
Erſeckern	Retſchen.
¶ Funckart	Fheür.
Floßhart	Waſſer.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [175] - 82r
PUBLIC DOMAIN

Flößling	Visch.
Fünckeln	Sieden oder Braaten
Flader	Badstuben.
Fladervetzer	Bader.
Fladervetzerin	Baderin.
Fluckart	Hün oder vogel.
Flick	Knab.
Fösselt	Ertrenckt.
Funckarthol	Kachelofen.
Feling	Krämerey.
Fetzen	Arbeiten.
¶ Glentz	Feldt.
Glathart	Tisch.
Griffling	Finger.
Henffen	Stälen.
Gatzam	Kindt.
Glid	Hür.
Glidenfetzerin	Hürenwirtin.
Glidenboß	Hürhauß.
Goffen	Schlahen.
Ganhart	Teüffel.
Gebicken	Fahen.
Gereppelt	Geradert.
Gleycher	Mitgesell.
Gallen	Statt.
Gefar	Dorff.
Gackenscherr	Hün oder Henne.
Gurgeln	Landsknecht Betlin.
Glyß	Milch.
Galch	Pfaff.

Galle

Galle	Pfaw.
Galchenboß	Pfaffenhauß.
Giel	Mundt.
Gitzlin	Stücklinbrot.
Grimm	Gůt.
Grůnhart	Feldt.
Glesterich	Glaß.
Gänßscherer Betler	Verzerte / verkrăckte handtwercksknecht.
Gugelfrantz	Münch.
Gugelfrăntzin	Nonne.
¶ Hanffstud	Hembd.
Herterich	Messer / oder Sägen
Himmelsteig	Pater noster.
Hautz	Baut.
Häutzin	Bäurin.
Hornbock	Kůh.
Holderkutz	Hůn oder Henne.
Horck	Baur.
Hellerichter.	Guldin.
Hanßwalter	Luß.
Har	Floch.
Hegeß	Spital.
Hocken	Ligen.
Hans von Geller	Grob Brot.
¶ Joham	Weyn.
Jonen	Spilen.
Joner	Spiler.
Juverhassen	Flůchen.
Jltis	Stattknecht.

Juffart	der da rot ist od frybet
¶ Kamesierer	Gelert Betler.
Keris	Weyn.
Kümmern	Kauffen.
Krönerin	Eefraw.
Kielam	Statt.
Krax	Kloster.
Klebiß	Pferdt.
Klems	Gefencknuß.
Klemsen	Fahen.
Kaspin	Jacobsbrüder.
Kleckstein	Verräther.
Klingen	Lyrer.
Klingenfetzerin	Lyrerin.
Krachling	Nussz.
Kabas	Haupt.
¶ Lechem	Brot.
Loe	Böß/oder falsch.
Lefrantz	Priester.
Lefrentzin	Pfaffenhür.
Linßmarckt	Kopff.
Lyßling	Ohr.
Lindrüschel	Sie korn samlend.
Loe ötlin	Teüffel.
¶ Meß	Gelt/ oder Müntz.
Mencklen	Essen.
Meng	Keßler.
Megen	Ertrencken.
Molsamer	Verräther.
Mackum	Statt.

¶ Na

¶ Narung — Thün speyß ſüchen.
¶ Plickſchlaher — Der da nacket vmbs laufft.
Platſchierer — Die auff den Bencken predigen.
Platſchiern — Daſelb ampt.
Polender — Schloß/ Burg.
Pflüger — Die in der kirchē mit ſchüſſel vmgehen
¶ Quien — Hundt
Quienhoffer. — Hundſchlaher.
¶ Reger — Würffel.
Ribling — Würffel.
Rüren — Spylen.
Richtig — Gered.
Rübolt — Freyheit.
Ruſchart — Stroſack.
Rippart — Seckel.
Rotboß — Betlerherberg.
Reling — Sauw.
Regenwurm — Wurſt.
Reel — Schwerſichtig.
Runtzen — Vermiſchē od̄ bſudlē
Rantz — Sack.
Röil — Mül.
Rölvetzer — Müller.
Rauling — Gantz jung kindt.
Rümpfling — Senff.
¶ Schöchern — Trincken.
Schöchervetzer — Würt.

Spranckart	Saltz.
Schling	Fuchs.
Schreiling	Kind.
Schref	Hür.
Schrefenboß	Hürhauß.
Strom	Hürhauß.
Sefelgräber	Schatzgräber.
Sonnenboß	Hürhauß
Senfferich	Betth.
Schmieren	Hencken.
Schwärtz	Nacht.
Sefel	Kaat.
Sefeln	Sein noturfft thün.
Sefelboß	Ort/da man die noturfft thůt.
Söntzin	Edelfrow.
Söntz	Edelman.
Schmunck	Schmaltz.
Floß	Supp.
Spelting	Heller.
Stetinger	Gulden.
Schlün	Schaffen.
Stolffen	Stahn.
Stefung	Zyl.
Sabuler	Brotsamler.
Stupart	Meel.
Spitzling	Haber.
Schmalkachel	Vbel redner.
Schrentz	Stub.
Schmaln	Vbel redē oder sehen Strobirer

Strobore
Schurnbi
Streifling
Stronbar
Schwentz
Terich
Verknei
Vermenck
Verkumme
Verstricker
Voppen
Vermonen
Voppart
Verlansche
Wetterh
Winthfang
Wffhulm
Wat rich
Wa nber
Wilh er
Zwirling
Zickuß
Zwicker
Zwengerin

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [180] - 84v
PUBLIC DOMAIN

Stroborer	Gans.
Schurnbrant	Bier.
Streifling	Hosen.
Stronbart	Wald.
Schwentzen	Gahn.
¶ Terich	Land.
¶ Verkneisten	Verstahn.
Vermencklen	Verschlagen.
Verkummeren	Verkauffen.
Versencken	Versetzen.
Voppen	Liegen.
Vermonen	Betriegen.
Voppart	Narr.
Verlunschen	Verstahn.
¶ Wetterhan	Hüt.
Winthfang	Mantel.
Wyßhulm	Einfeltig volck.
Wendrich	Keß.
Wurmberg	Hüpsch jungfraw.
Wiltner	Silberkremer.
¶ Zwirling	Aug.
Zickuß	Blind.
Zwicker	Hencker.
Zwengering	Wammes.

MITHRIDATES
ad Lectorem.

Hæc hactenus de diversis linguis, quantum hoc tempore præstare potui, tum meopte studio & observatione, tum ex aliorum scriptis & lectionibus (præcipuè verò ex Guil. Postelli, viri in omni doctrinarum & linguarum genere præstantissimi, duodecim linguis libro, & altero de characteribus Phœnicum, nonnulla sum mutuatus:) tum bonorum virorum collatione. Inter quos Theodorus Bibliander, theologus insignis, & varâ rerum linguarumque scientiâ clarus, præceptor meus observandus, quod ad linguas Hebraicæ affines, institutum meum promovit. Spero autem homines studiosos audaciam meam benignè interpretaturos. De omnibus enim linguis scribere sum ausus, non sanè quod argumento me satisfacturum sperarem, qui ne de vernacula quidem hoc pollicer' ausim, sed ut excitarem alios, qui de singulis pluribúsve sive ipsi lucubrationibus propriis, quod mallem: sive ad me nostra aliquando augendi aut emendandi gratia perscriberent.

FINIS MITHRIDATIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [182] - 85v
PUBLIC DOMAIN

CASPARI VVASERI

Ad Mithridatem GESNERI *Libellus commentarius.*

INSCRIPTIO hujus libelli est *Mithridates Geſſneri.* quibus verbis ſcripti auctor & materia ſive ſubjectum declarantur. De auctore Geſſnero multa dicere ſupervacaneum ſit; quum nobilis ejus fama, quam præclaris ſcriptis ſuis ſibi peperit, jampridem in omnes Orbis provincias emanarit. Materia deinde ſive ſubjectum ſcripti eſt de varietate ac differentia linguarum, quæ cùm antiquitus in uſu fuerunt, tum hodieque uſum ſuum habent. Materia hæc ſive ſubjectum exprimitur voce *Mithridatis*, qua ſi κατ' ἐξοχὴν, & comparativè. Vt enim Mithridates plures calluit linguas: ita plures hoc libello linguæ proponuntur ac diſtinguuntur.

Porrò quis Mithridates fuerit, ex Veterum hiſtoricorum monumentis liquet, præſertim Val. Maximo, Plinio, Appiano & aliis. Fuit enim is, qui Eupater aliter dictus, ob potentiam resque magnas præclarè geſtas

magnus fuit cognominatus, ejus ſtirpis decimus ſextus a Dario ultimo, Perſarum Rege, octavus a Mithridate I. regni hujus fundatore. Genus enim paternum, quemadmodum ipſe de ſe in ſua illa ad milites adhortatione, a juſtino recitatâ, teſtatur, a Cyro Darioque regni Perſici: maternum autem ab Alexandro M. atque Nicanore Seleuco, Imperii Macedonici auctoribus, duxit: fuitque vi magnâ & animi, & corporis. Corpore enim non modò vaſto fuit, ut arma ab ipſo Delphos Nemeamque miſſa indicârunt, verùm etiam ita valido atque robuſto, ut ad extremam uſque ſenectutem equitationibus jaculationibusque ſe exercuerit, & M. ſtadia uno die mutatis equis conficere, nec non currum octijugem regere potuerit. Animo deinde fuit excultiſsimo: quippe non Græcis, nec vulgaribus tantùm litteris eruditus: ſed, quod permirum ſit ac omnino rarum & inauditum, viginti duarum gentium, quas ditioni ſuæ ſubjectas habebat, linguas ita percalluit, ut cum earum hominibus ſine interprete non minùs ſcitè, quàm ſi inde fuiſſet oriundus, loqui, militesque ſine monitore ſalutare & appellare potuerunt.

Quod attinet ad Mithridatis nomen, Perſicum illud eſt, compoſitum ex formativo

tivo *datha* vel *dathes*, & *mithri*; quod fit a *mither* comparativo gradu, idem significante quod μείζων Græcorum, nempe *dynastam*. aut *dominum*. Vnde antiqui Solem etiam *Mithra* vocabant, hoc est, κύριον seu δυνάστην. Sumus enim Persarum Dominus, quasique Deus est Sol. Qui igitur *Mithridatis* nomen gerebat, is magnum quiddam sive dignitate, sive potentia ac dominio præse ferebat. quale ferè hodiernum *Sultani* nomen est, Imperatoribus Turcicis tribui solitum; quo omnino is, qui Mithridates est, hoc est, dominio ac potentia pollet, significatur. a Chaldaica voce *schultan*, *dominium*, sive *dominator*, &c.

AD CAPVT I.

Pag. 3. *Nulla enim est linguæ, quæ non ab Hebraica derivata quædam & corrupta vocabula habeat.*] Hoc verissimum esse, vel una vox Hebraica *ab* clarissimè docet. Ab hac enim nata est vox Chaldaica, Syriaca, Æthiopica, Arabica *abbâ*. Vnde Græci ἀββᾶς, & inter hos prisci Siculi, Bithyni & Scythæ πᾶς pro πατὴρ, & per ἀναδιπλασιασμόν παππᾶς Syracusii dixere: Latini verò *Avus*, *Avia*, & item *Abbas*: nec non *Papus*,

Papa, & *Papia*. Sic enim ſcribebant Latini priſci, litteras geminare neſcii. Poſtea *Pappus*, *Pappa* & *Pappia*. Vnde Satyræ Varronis nomen fuit *Pappia*, *pappiæ*, &c. Porrò antiquitus, ſicut etiam num hodie, primariis quibuſque viris, in Eccleſia Patrum authoritatem obtinentibus, & adminiſtratione ſancta fungentibus, nomen utrumque fuit tributum, apud Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, & alios: non omnibus tamen promiſcue: ſed iis demum; qui Sacerdotes eſſent. Vnde *protopapa* Sacerdos primus, *Azembaba* dictus Torlaquis Turcicis. Germanis inde dictus eſt Abt: item Pfaff cum aſpiratione: & Belgis Pap, ἀναπνεύσως: ac Sclavis Opat, &c.

Pag. 4. b. *Nam quum elephas.*] Elephanti (junge & boves; quos inter prodigia Romæ locutos olim conſtat:) ſuam eſſe dialectum, aut ſaltem patriæ intellectam, Veterum fide ſtabilitur. Plinius: *Animalium maximum eſt*, inquit (reſpiciens ad elephantis nomenclaturam hebraicam *behemóth*, *beſtias* ſignificanè pluraliter, quaſi beſtiam ingentem, vaſtam, immanem, &c.) *proximumque humanis ſenſibus; quippe intellectus illis ſermonis patrii*, &c. puta, Indici, Æthiopici, Africi, & ubicunque ſunt nati. Adſtipulatur Pli-

nio Ælianus: Σωιᾶσι γὰ ἐλέφαντες καὶ γλώττης ἀνθρωπίνης τῆς ἐπιχωρίου, *Capiunt & humanum sermonem elephantes, sed indigenam.* Et Dio: ἤδη καὶ ἐκεῖνο εἶπον, τῆς φωνῆς τῆς πατρίου καὶ αὐτοὺς ἐπαίειν, *Et jam hoc ajunt, eos patriam vocem audire atque intelligere.* Quippe institutio eorum linguâ fit. Vnde idem Ælianus: Docentur atque instituuntur ad varia φωνῇ τινι ἐπιχωρίῳ, ἥπερ οὖν εἰλήχασι, φύσει τινὶ, ἀπορρήτῳ καὶ μάλιστα γε ἰδίῳ τῷ ζώου τούτου, *sermone vernaculo, cujus miro quodam, & ineffabili modo, ac peculiari, naturâ sunt capaces.* Succinit his Oppianus, elephantes inter se colloqui diserté scribens:

Φήμη δ' ὡς ἐλέφαντες ἐπ' ἀλλήλοις λαλέουσι,
Φθογγὴν ἐκ στομάτων μεσπῶν διάτον θεῖς ζοντες,

Fama est, inter sese sermocinari elephantes,
Distinctasque susurrare atque emittere voces.

Christophorus sanè Acosta, Hispanus, qui novum illum Orbis tractum, quem Orientalem Indiam vocant; in quo elephantum omnia plena ipse vidit & lustravit, nihil certiùs in regno Malabar esse testatur, quàm quòd hæ belluæ communicent inter se ser-

mone. Sed, quod magis adhuc mirum videatur, edunt ac loquuntur etiam humanam vocem. *Erat enim*, inquit, *in urbe Cochin elephas, qui operas diurnas præbere solitus ad portum & res maximas. Eum fortè jam fessum urgebat nihilominus ejus urbis præfectus, ut liburnicam, quam commovere cœperat, deduceret porrò in mare. Ille abnuere: instare alter multis blandisque verbis, & ad extremum in gratiam Lusitani regis, ut id vellet, orare. Hic (immane dictu) elephas motus clarè hæc duo verba ingeminat, hoo: quod Malaburum linguâ est Volo volo. Ac sine mora navim traxit in mare.* Hæc ille; qui & alia de elephantis non pauca, nec minuta, sed maxima visa sibi, aut a viſoribus accepta testatur.

Pag. 5. *Sed absurdum videtur, tanquam omnia bruta dialecto quadam inter se utantur, scorpii quoque & pisces.*] Pisces sanè vel maximè mutos esse, non tantùm protritum ἀφωνότερον τῶν ἰχθύων, *Magis mutus piscibus*, de vehementer infantibus & infacundis, manifestò docet: sed idem Plinius quoque confirmat; quum aves permultæ canoræ sint, quædam & humanum sermonem referant, solis piscibus nullam vocem esse scribens: cujus causſam ille doctrinæ & ingenii Princeps Aristoteles affert, quòd his neque

neque pulmo ſit, neque arteria, neque guttur. Vnde Plutarchus in Sympoſiacis exiſtimat, Pythagoricos ideo a piſcibus abſtinuiſſe, quòd hos quaſi diſciplinæ ſuæ domeſticos agnoſcerent, propter ἐχεμυθίαν, quæ inter animantium genera piſcium eſt propria.

AD CAPVT II.

ABASSINORVM.] Arabes vicini hodie eos vocant *Chabaſſi* vel *Habaſſi*: & nos inde, demtâ adſpiratione, *Abaſſenos*: vel, ut alii, *Abyſſinos*: quanquam origine Ægyptiacâ Abyſsinos dictos tradant nonnulli a domibus; quas *Abaſes* Ægyptii appellent. Ipſi verò vocant ſe *Chaldæos*. Neque fruſtra. Lingua enim elegantiſsima & vetuſtiſsima, qua libros ſacros & profanos conſcriptos habent, proximè abeſt a Chaldæâ & Aſsyriâ. Colonias deinde multas ex Aſſyria in Æthiopiam, quæ Abaſſenorum eſt regio, traductas refert vetus hiſtoria eccleſiaſtica, & ex eadem Nicephorus libro IX. cap. XVIII. & linguâ Chaldaica, etiam temporibus. juſtiniani, eas uſas fuiſſe. Eadem hiſtoria eccleſiaſtica & *Axumitas* eos vocat a Regiâ, nomine Ἄξωμα, cujus etiam meminit Pto-

ſomæus. ipſi verò, ut teſtis eſt Franciſcus Alvarez itinerario libro, vocant *Chachumo*. Plura videris in titulo de Æthiopibus.

ÆGYPTII.] Priſci illi artium ac diſciplinarum inventores; quos Antiquitas credidit dictos ab αἴγυπτος, *Aegyptus*, provinciâ eorum: quæ quòd, Africæ reſpectu, humilis viſa ſit & declivis, dicta eſt ab αὖα, voce poëtica, quaſi γαῖα, *terram* ſive *regionem* declarante, & ὕπτιος *humilis*, *declivis*, &c. Quanquam alii Ægyptum a Rege ſuo, aut contrà, Regem ab amne dictum volunt. Nam quum cæteri amnes, Græcis hominibus cogniti, ad Capricorni ſignum maximè turgeant, & quaſi exſiliant, ſolus Ægyptius eo tempore ſupinus in alveo jacet, ὑπὸ τοῦ αἰγὸς κεῖται, tanquam viribus cunctis amiſsis; quum in Cancro totus exſurgat, & extra ripas ſaltet, contrà quàm cætera flumina facere conſuevere. Origine deinde hebraica Ægyptus *Cham* dicitur in ſacris libris, vel *Mitzráim*; quorum ille Noachi filius: hic ejus ex Chamo nepos fuit. Hos enim meridianum tractum habitâſſe, eoque poſteros ſuos in Aſiam & Africam, inde a Babyloniâ deduxiſſe conſtat. Unde

Cha-

Chami tentoria pro Ægypti habitationibus, & *Chami terra* pro Ægypto, usurpata legas. *Chemnis* item, opidum Thebaicæ, & insula apud Herodotum in Euterpe, hinc nomen acceperunt. Sic per *Mitzráim* designatur Ægyptus. Vnde *filum Mitzráim*, lintea e filis Ægyptiacis texta: quod filum proverbii specie usurpatur pro lino optimo, candore mollitiaque omnibus præferendo, ut loquitur Plinius, quale erat Ægyptiacum. Sic *tenebræ Mitzráim* pro tenebris maximis, & crassissimis, quales in Ægypto Mosis erant ætate *Cimmeriæ* Latinis, a prodigiosa obscuritate Cimmeriæ regionis: *& mare Mitzráim* pro mari rubro, Ægypto propinquo; & *via Mitzraim* pro pœnis vel more Ægyptiorum, accipuntur. Cæterum Ægyptii hodierni partim Christiani sunt, ex illis scilicet, qui Iacobitæ dicuntur, partim Arabes, Africani, Turcæ, Asiatici, Iudæi & alii; quorum major pars, quæ Mahumetanorum est, strictius & diligentius suæ religionis ceremonias observant, quam ipsimet Turcæ, qui Turcica aut Arabica vulgo utuntur.

Psal. 78, 51 & 105 23. — *Gen.* 12, 11. *Pro.* 7, 16. — *lib.* 13 *ca.* 11 — *Exod.* 20. 22. — *Esa* 11, 15. *Amos* 4, 11

Ibid. *Mensium anni Aegyptiaca nomina.*] Græcis quidem characteribus & ordine, quo Illustris scaliger recenset, hæc sunt: Θὼθ,

παοφὶ, αθὸρ, χοιὰχ, τυβὶ, μεχεὶρ, φαμφαὶθ, φαρμυθὶ, παχὼν, παῦνὶ, ὄπφὶ, μεσυρὶ. Vbi animadverte, Παῦνὶ, qui *junius* eſt, reddi a Nicolao Myrepſo Alexandrino *payni*. Et rectè, rectiusque, quàm *pauni*, ut reddit Auctor.

Pag 5 b. Βαϊήθ *Aegyptiis tum accipitrem, tum animam ſignificat.*] Imnó & Solem, & Deum, & Martem, & Venerem, aliàve, hieroglyphico ſchemate τὸ βαϊήθ, hoc eſt, *accipitris* deſignari docet P. Valerianus libro XXI Hieroglyph.

Ibid. *Hercules vox Aegyptia eſt, non Græca.*] Qui Græcam putant, arbitrantur dici quaſi ἠέρας κλέος, *aëris gloriam*, hoc eſt, Solem; qui Herculis nomine alâ inſignitura Macrobio. Et certè Solis illuminationem ſplendidiſsimam aëris gloriam eſſe, nemo ignorat: & duodecim labores, quos Hercules creditur confeciſſe, nihil aliud innuunt, quàm duodecim ſigna Zodiaci, quæ Sol ſingulis annis conficit. Vulgus Herculem dici τῆς ἥρας κλέος, autumat, quaſi virum aërium, cœleſtem, &c. hoc eſt, ſupra conditionem vulgarem. quod cùm in genere de omnibus virtutibus, tum in ſpecie de ingenti fortitudine animi vel corporis intelligitur, ut ſa-

Lib I *cap.* 20.

ut sanè *Alcidis* nomen ej patronymicum est apud Thebanos, a fortitudine vel robore: & apud Ægyptios Hercules gigantes in Italia vicisse fingitur: & apud Thuisconas Hercules Almannus olim fuit cultus. Ob quam causam ut auctor est Tacitus, Germani ituri in prælium hunc Herculem canebant, itaque animos militum accendebant, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurabantur. Inde postea omnes, qui aliquid fortiter egissent, Hercules vocabantur, quasi ἥρωες, Heroê, ab eadem aëris, sive ἦρας voce.

Ibid. *quas sacras appellant.*] Aliter *hieroglyphicas*: ab ἱερὸν & γλύπτειν, rem sacram vel abstrusam insculpere lapidibus vel monumentis, cùm alios ad usus, tum ad perpetuam memoriam. Quæ insculpendi ratio Ægyptiorum fuit propria & peculiaris, ut videlicet quæ aliæ gentes litteris & characteribus, hi animalium, arborum, & aliarum rerum figuris, significarent: priscos patres imitati, qui ante diluvium duas diversæ materiæ columnas erexere, lateritiam unam, alteram lapideam; in quîs totum de consummatione Mundi arcanum exscriberent, certis animalium & rerum cæterarũ figuris.

Pag. 6. *Aegyptia eadem est, quæ Ales*

xandrina.] Alexandria quandoquidem olim ex primis non Ægypti tantùm, sed Universi totius urbibus fuit, quæ vel Romæ tantùm incolarum multitudine cedebat. Vnde Aegyptia lingua perinde Alexandrina atque a Româ Romana, ab Hierosolymâ Hierosolymitana, ab aliisvè urbibus famosioribus aliæ linguæ appellatæ sunt.

AEOLICA.] Dicta ab Aeolibus; quorum Dialectus fuit affinis Dorienſium, qui & ipſi coloniâ in Siciliamac Italiam fuerunt ſegregati. Integerrimi eorum fuere Theſſali, ut Dorienſium Lacones. Hac dialecto ſcripſerunt non tantùm Alcæus, ſed & Sappho.

AETHIOPVM.] Qui proximè abſunt a Chaldæa & Aſſyria lingua, itemque Hebraica; quam in Aethiopiam intulerunt Chriſtianorũ reliquię. Hanc in multis mirificè cõgruere cum Hebręa, Chaldæa & Aſſyria inductione bene longa comprobari poſsit. Verúm qui linguas illas vel primoribus labris attigit, ex unico Orationis dominicæ, quod Auctor adtexuit, ſpecimine, clariſsimè poteſt videre. Aethiopiam Hebræi *Cuſch* appellant, & Aethiopes *Cuſchim*, a Chami filio. Joſephus libro 1. antiquit. jud. *Chuſe*

quo

quidem nihil nocuit tempus. Nam Aethiopes; quorum princeps fuit, hactenus & a semetipsis, & ab omnibus Asianis Chusæi vocitantur. Græci verò *Aethiopiam* dicunt ab αἴθω, *cremo, uro*, & ὄψ, ὀπτὸς, *visus, aspectus, facies*, &c. Solis enim vicinitate incolæ ejus regionis ita torrentur, ut atro sint colore, adeoque immutabili, ut παροιμιακῶς dixerit Propheta, *An mutare potest Aethiops cutem suam*, jerem. 13, 22. & Græci, Αἰθιὼψ οὐ λευκαίνεται, *Athiops non albescit*, de iis; qui ingenium non mutant. quicquid enim nativum, id non facilè mutatur. Nota sunt etiam, Αἰθίοπα σμήχεις, *Aethiopem lavas*: &, Αἰθίοπα λευκαίνεις, *Aethiopem de albas*: &, Αἰθίοπα ἐκ τῆς ὄψεως γινώσκω. *Aethiopem ex vultu indico*, &c. Cæterùm Reges Aethiopum ante hos ccc annos, in Asia, præsertim in Dragiana, finibus Susianæ, in India & Sinis latè imperârunt, donec imperatores Tartarorum eos imperio Asiæ exuerunt. Nam Abyssini, qui Aethiopiæ sunt incolæ, victi, & ex Sinarum regione pulsi sunt primùm a Cingi, Tartarorum rege, interfecto Vncam, magno Aethiopum Imperatore: deinde Cincan, filius Cingis, & ejus filius Bathincan omnes Abyssinos penitus

ex Moin, & Sinarum regno expulit, & in Africam fugere compulit : a quibus temporibus ejus Imperatoris notitia ad nos pervenit, ſed nomine *Preſtegiani*; quod Perſicâ linguâ, quæ in totâ ferè Aſiâ hodie locum habet, ut in Occidente Latina, ſignificat *Apoſtolicum*, quo nomine Chriſtianum regem, & orthodoxũ intelligi conſtat. Nam Perſicè ſonat *Preſtegian*, numero plurali, ἀποστολοι; *Preſtegiani*, cum joth gentilitio, Hebræorum more, ἀποστολικὸς: *padeſcha Preſtegjani*, rex apoſtolicus, hoc eſt, rex Chriſtianus, Arabicè *melich reſſuli*, Æthiopicè *negúſch chawariawi*, &c. Magnum verò & latum ipſorum Æthiopum in Aſia fuiſſe imperium, indicio ſunt cruces Aethiopicæ, quæ in Gjapan, Sinan, & albi viſuntur. Quin templum Thomæ Apoſtoli, in regione Maabar ſitum, nil niſi Aethiopicum habet, cruces, ſtructuram, & multa alia, &, quod mireris, nomen. Nam neque Indicè, neque Perſicè, ſed Aethiopicè appellatur *Chawarija* hoc eſt, *Apoſtolus*.

ALEXANDRINORVM *lingua.*] Vetus hæc eſt Aegyptiorum, qua in ſacris & ritibus Eccleſiæ ſuæ uſi ſunt.

ANGLO-

ANGLORVM *lingua mixta est ex multis.*] Hoc norunt ejus linguæ, & Gallicæ, & Germanicæ periti. Habitant autem Insulam, in Europa maximam; quæ *Albion*, *Britannia*, *Anglia*, alitèr q; dicitur. *Albion* quidem; ab albis montibus, primùm ad eam navigantibus apparentibus: *Britannia* verò vel à Bruto, Trojano duce, ex Aquitania illuc trajecto, vel à Britannis, populis Galliæ, Bedâ ipso, qui Anglus fuit, teste: *Anglia* deniq;, vel ab *Angelâ*, Saxonum reginâ; quæ expulsis gigantibus, eam tunc incolentibus, inter suos Insulam partiens, ut victoriæ gentisq; memoria nunquam intercideret, Angliam illam vocavit: vel ab *Angilis* ejusdem Saxoniæ populis; quos, quum à Pictis Scotisq; molestiâ afficerentur, Britanni in auxilium vocârunt, atq; hinc tandem terræ bonitate & amœnitate allecti eos circumdederunt, ac Insulanorum bona inter se partiti sunt. quanquam Angilos Suevos, non Saxones fuisse auctor est Ptolemæus. Vel dicta est quasi *Anguli terra*, seu *nostri Orbis Angulus*. Goropius Becanus in originibus Atuaticis Anglos dictos vult à magna potentia navali, quasi Aengel/ quæ vox *hamos* piscatorios significat.

ARABVM.] Horum multa genera esse, licet intelligere ex Strabone, Plinio, Ptolemæo & aliis: sunt tamen duo præcipua, *Ha-*

gareni & *Saraceni*. *Hagareni* ab ipsis etiam veteribus Arabibus vocantur *El-Hegarin*, vel *El-Magherin*, ab Hebræis *Hagrim*. Sanè Psalmorum Paraphrastes Arabs Ἀγαρηνὸς vertit *Mahgerin*, vel *Mahgarin*, in Psal. 83. Inde μαγαρίζειν apud Cedrenum est μαομετίζειν, & μαγαρισμός est μαομετισμός. aliud tamen est *Magar* apud Turcas; qui ita Hungaros vocant. Cæterùm regia horum erat Petra, arx munita; cujus Principes omnes Aretæ fuerunt dicti, ut Ægyptiorum Pharaones sive Ptolomæi, &c, qui diu Damascum obtinuerunt. *Saracen* deinde, quos Σαρακηνὸς vertunt Græci, Arabibus dicuntur *El-Sarak*, quæ vox significat furaces, Ληστρικὸς καὶ νομαδικός: quales sunt qui Turcis dicuntur *Cosaki* Tartari, quales Martolossi, quales Bandolieri in Pyrenæis, &c. Et certè Arabes tabernis etiam nunc hodie vicitant; ceu genus hominum vagum καὶ νομαδικόν; à quibus ideo ortum adagium, *Vt Arabs in deserto*, Ier. 3,2 & Ezech 38,13. de latronibus aut prædonibus ex grassationibus & latrocinijs viventibus, & vias observantibus: qui propriè sunt quos *Ismaëlim* idem Psalmus vocat, & Moses in historia Iosephi venditi à fratribus. Epiphanius: Σαρακηνοὶ, οἱ καὶ Ἰσμαηλῖται, περιτομὴν ἔχουσι. Hinc autem apparet,

apparet, Saracenos dici non à Sara, Abrahamî vxore, quod eſt ridiculum. Hoc enim modò oporteret aut à Sara *Saræos* dictos, aut uxorem Abrahami non Saram, ſed *Saracam* vocatam fuiſſe. Avellenda eſt hæc opinio de animis hominum. Arabes porró dicti ſunt ab Hebraicâ voce *herâb, veſperâ*, quæ dicitur à *miſcendo*, ſeu *commiſcendo*, quia tunc lux tenebris miſcetur: tropicè eſt *mixtura variorum populorum, turba miſcellanea*, &c. Ier. 25, 20, 24. Vbi Kimchi ſcribit Arabes vagos & mixtos, *Habitantes tabernacula* intelligi, qui ob id Plinio dicti *Scenitæ*, paſtionibus inprimis vacabant. Vnde νομάδες dicti ἀπὸ τῦ νέμειν, *à paſcendo*. Depaſtis enim herbis uno in loco paſtiliones ſuos curribus aliò tranſvehunt. quod præter alios Eſaias innuit cap. 13. v. 20. *Neque figet tentorium ibi Arabs*: ſcilicet ad pecus ſuum ibi paſcendum. quod ſignum erat inter alia excidii Babylonici, quod Propheta prædicit. Sive autem Hagarenos & Saracenos, ſive Arabes dixeris uno nomine, linguâ uſiſunt, hodieque utuntur, eâ, quæ præter Hebræam & Chaldæam, omnibus cæteris drior, & antiquior eſt, & quaſi mater earum cenſetur, in Africa Aſiaq; ita vigens, ut eam

infantes à matribus suis haurire possint: in qua Abi-Senna (quem Abin-Sina aliter, & corruptè Avicennâ vocant) & Aben Rhoes, Philosophi Medicique summi, præclara scripta, & æternâ memoriâ digna ediderunt: in qua etiam quatuor Evangelia, Romæ elegantissimis typis, in chalcographia Medicea impressa, hodiè legere possis.

Gen 10. 22 Num. 23 7. ARAMAEA *lingua eadem, quæ Chaldaica.*] Aramæa dicta ab Aram, Semi filio, non tantùm eadem est, quæ Chaldaica, sed & quæ Syriaca. Nam Aram etiam Syriam significat & Syriæ incolas. Hinc Iosephus: *Aram verò Armenos instituit, quos Græci Syros appellant.* Et Strabo: *Quidam Syros pro Arymis acceperunt, quos nunc Aramos vocant.*

De antiq. Iud.

ARMENORVM *lingua.*] Armeni, & eorum Provincia Armenia, ab eodem Aram videntur appellata, quanquam alii à montibus eam circumquaque cingentibus dictam volunt. Etenim *Har* Hebræis mons est. Ea major & minor: utiturque linguâ Arabicâ, Turcicâ, & Tartaricâ.

ASIA *regiones ac linguas multas diversas habet.* Regiones, ut Bithyniam, Pontum, Lyciam, Galatiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Cappadociam, Armeniâ, Ciliciam; quas omnes

omnes Græci hodie Natoliam vocant, quasi ἀνατόλιαν, si ita loqui liceat, hoc est, ἀνατολὴν, *plagam* si- *e partem orientalem*, &c. *Lin-* *guas*; ut Indicam, Persicam, Babylonicam Armenicam, Syram, Arabicam: in primis verò Græcam; qua commemoratas regiones, in Asia minori sitas, usas olim fuisse Bellonius ex epigrammatis Græcis sepulchrorum atque ædificiorum se collegisse prodit. Cæterùm tot ibi hodie linguas florere minimè mirum debet videri, quum Asia pars orbis terrarum maxima sit, si Herodoto fides est habenda. *Lib. 3. c 34*

ASSYRIORVM *lingua eadem, quæ Chaldaica.*] Pro ut Assyriorum & Chaldæorum natio est eadem, nominibus tantùm discrepans, non gente vel imperio. Nam sive Assyrios sive Chaldæos intelligas, ii primam monarchiam imperii amplitudine ac diuturnitate reliquis magnificentiorem & spectabiliorem, usq; ad Sardanapalum obtinuerunt. *Assyrii* autem dicti sunt ab *Assur*, Semi filio. Et quod Dion scribit à Barbaris *Attyrios* dictos, imputandum est dialecto, quasi *Assyrios* dicas. ut certè Eustathius ἄασυρας expressè vocat. Congruit cum hoc illud Etymologici veteris: Ασυρία ἡ βαβυλωνία. τὸ μὲν πρῶτον ἐκαλεῖτο εὐφρατίς. ὕστερον δὲ Χαλ- *Gen. 10. 22*

Ἀσία. τὸ τελευταῖον δὲ, ἀπὸ Ἀσσύρου τῆ Ἀσσυρία, &c. Cæterûm in lingua Assyria multa in Scripturis occurrunt nomina, præsertim propria; quę ferè composita sunt; ratò simplicia: ex simplicibus tamen duobus, tribus, & quatuor summûm composita. Simplicia selectiora sunt *Schadran, Schalman, Teglath, Herib, Haddon, Neschroch, Adar, Etzer* vel *Atzer, Asar, Ballat, Osen* vel *Osn, Chuschan, Sen, Phul, Phar, Schar*, &c. Ex quibus componuntur *Schalmanasar, Sennacherib, Ascharhaddon*, & similia; quorum methodus utilissima & maximè necessaria est Chronologo, saltẽ ut ne reges Assyrios cum Chaldæis confundat.

ATTICA *lingua dialectus est Græcè communis.*] Attica dicta ab Attica, Ioniæ Europææ parte: cujus incolarum Atticorum & Ionum antiquitus eadem fuit sermonis & idiomatis proprietas. Crescente verò multitudine, postquam in Asiam missæ coloniæ, Ionum appellationem sibi usurparunt, qui remanserunt Attico nomine servato vernaculam summo studio excoluerunt, opeque præclarorum ingeniorum, longè lateq; propagârunt, ut rectè Fabius dixerit, Venerem iis concessam ne Græcos quidem in alio genere linguæ obtinuisse. Idem Veterum proverbia

verbia clarè docent: ut, Ατλικὴ μοῦσα, pro venustâ & lepida orâtione, velut inter dicendi genera laudatur in primis Atticum: & *Stylus* vel *Sermo Atticus* pro arguto, scitô, urbano: & *Lepos Atticus*, vel *Eloquentia Attica* pro summa, &c. Cæterùm, præter Homerum, Aristophanem & Demosthenem, hac dialecto excelluerunt Plato, Aristoteles, Isocrates, Xenophon, & alii quanquam Homerus & alias dialectos, per suum poëma dispersas, mixtumque adeò dicendi genus habet. quod carmen ejus reddit magnificentius & admirabilius, insignemque Poetæ doctrinam, & poeticæ venæ felicitatem commendat, &c. De hujus dialecti peculiaribus, ratione tum significationis, tum vocis, seu dictionis, quatenus linearibus notis scribitur & formatur, vide sis doctissimũ de dialectis commentarium clarissimi & amicissimi Zuingeri nostri.

¶ BABYLONIORVM *eadem quæ Chaldæa est.*] Fuit enim Babylon Chaldæorum metropolis, & Babylonia eorum regio, magna nimirum Mesopotamiæ & Assyriæ pars; Plinius lib. 6 c. 26. quam à Semiramide conditam Strabo tradit. quanquam Hebræorum litteræ ad Nimbrod gigantem originem ejus referant, quę à Semiramide postea instau

rata esse potest. Cæterùm Babylonios, vel Babylonem, aut Babyloniam dici volunt à *Babel*, voce Hebræâ, cõpositâ ex *ba* venit, & *bel* confusio, cujus radix *balál*, *miscere*, *confundere* &c. tanquam si dicas, *Venit*, vel *Est in ea confusio*. ut certè prisci Babelis architecti confusione linguarũ dejecti sunt: aut quòd in ea urbe, quæ populosissima fuit, non potuit non esse maxima confusio.

BARBARI.] Tum speciatim, tum generatim: speciatim, ut hoc loco, certus quidam Æthiopiæ populus, linguâ utens Æthiopũ: generatim, rudes & imperiti, absurdam & inconditam linguam loquuti: alieni item & extranei: denique Græcis; qui non Græci, Latinis; qui non Latini. Plato in Politic. *Multi dividunt homines in duo genera: in Græcos & alios populos, qui omnes sunt barbari,* ἄπειροι, καὶ ἄμικτοι, & ἀσύμφωνοι πρὸς ἀλλήλους. Idem in Cratylo Barbaros facit Græcis vetustiores, & in Epinomide Astrologiæ inventores. Sic Straboni Barbari olim παχύστομοι καὶ ξαχύστομοι, *crassiloqui atq; duriloqui*, hoc ficto vocabulo videntur notati. quod postea usurpatum pro eo, qui non esset Græcus. Hinc *bárbar* Arabicè *murmurare*, inculto, incondito, absono & absurdo sono vocis uti significat, unde Arabes Africa-

Act. 14.

nos;

nos; quorum sermo illis horridus, belluarumque similis videbatur *El-barbar*, barbaros appellant. Tametsi alii à deserto, quod *midbar* Hebræi, Arabes verò *bar* appellant, sic dictos velint. Nihil absurdi videtur, statuere, Hebræum *dabâr*, *verbum* significans, ultimâ syllabâ duplicatâ peperisse *barbar* sive *barbara* Arabicum: quum Arabica lingua sit propago Hebrææ. Quoniam autem lingua Hebræa, & quæ ei affinis Arabica, cæteris gentibus atque nationibus visa est παχύσομος atque ξαχύσομος, crassa, absurda, aliena planè atque extranea: hinc factum, ut ipsum quóque *barbar*, tum Hebræum, tum Arabicum pro quavis & linguâ, & gente, & re peregrinâ, atque absurdâ usurpatũ fuerit, atque etiam num hodie usurpetur. Quo ex fonte vox Latina *balbutire*, Liquidæ permutatione, & Gallica *barboter* videntur promanâsse.

Bessi, *hodie Bosnenses, Illyricè loquuntur.*] Sunt enim populi Bulgariæ, apud quẽ lingua Illyrica insignẽ usum habet: *Besßi* atque inde *Bosßi* dicti, temporum decursu, ingentis vocabulo *e* mutando in *o*. unde *Bosna* & *Bosnia*, *Bosnenses* & *Bosnienses* sunt appellati, ut ex *Melita Malta*, ex *Longones Lin*

gones, ex Scandia Scondia, &c.

BENGALENSES *Arabicè loquuntur.*] Numerantur enim inter Arabes: & nominatim Saracenos; quorum regio, quæ *Bengala* dicitur, quasi *Gangala*, ab eam interfluente *Gange* latissima est, & mirificissimâ fertilitate: gens verò colorata, venusta, ingenio prædita acuto, dedita mercaturæ, vivens lautissimè, vestibus exculta eleganter: sed vitiis, & sceleribus contaminatissima, plurimũ colens simulachra, nefandasq; Mahumetis disciplinas. Hujus regionis etiam metropolis dicitur *Bengala*, à Gangis ostio bidui itinere distans, urbs maxima, portum habens optimum & ædes circiter XLM; in qua rex sedem & domicilium suum collocat, qui est potentissimus, & magnis præsertim equitum copiis instructus, assidueque cum rege Narsingæ bella gerit. Hunc qui interimit, id peculiari Dei jussu fecisse creditur.

BITHYNOS *etiam Græcè loquutos ex mensium nominibus conjicio.*] Quæ Græca sunt. Idem hinc quoque liquet, quòd Bithyni Asiæ minoris fuerunt incolæ; quibus Græca lingua non usitata modò, sed & vernacula fuit. Testantur hoc ipsum ampliſſima monumenta Græca Synodorum, in Bithynia celebratarum. Etenim Bithyni, quum Mar-

gis cultores antè extitissent, tandem verum belli pacisque arbitrum, Deum, qui exercituum est Iehova, verâ fide amplexi, Chalcedone habuerunt Synodum: quæ anno II. Marciani, in æde Euphemiæ, DCXXX. Patrum præsentiâ, habita fuit contra Eutychen, Dioscorum & Nestorem. Eximius Ecclesiæ illius Episcopus fuit Maretes, qui Iuliano apostatæ, cœcitatem ei exprobranti, liberrimè respondit, gratias se agere Deo, quòd tam impium Principem non cogeretur intueri. Quæ Bithynorum Chalcedonensium urbs *Proceraſtis* antè dicta, hodie *Cacelima*, sive *Galata* vocatur, populares quæ urbes habet *Niceam*, *Nicomediam*, *Prusiam* (*Bursam* inversè nunc vocant) quæ & *Zolia*. quibus locis omnibus illustres Ecclesiæ Christi fuerunt. De Bebrycibus, Thynis, Mygdonibus, Mariandinis & Cauconibus, quæ peculiares olim atque distinctæ à se gentes fuerunt, certis finibus separatæ, & tandem omnes in unius Bithyniæ nomine, non secus atque diversi fluvii, in uno aliquo pelago, delitescentes evanuerunt, Græcoq; idiomate sunt usæ, videat qui velit Strabonis librum VII.

BOHEMI.] Quasi *Bojohemi*, à *Bojohemia*,

Bojorum domicilio; qui Galliæ fuerunt populus, haud longè ab Insubribus dissiti: sed victi à Cæsare, Gallià excedentes, Italiam transcenderunt. Inde à Romanis ejecti, trans Rhenum in Germaniam profecti sunt, sylvæ Hercynię campos incinctos habitantes. Ejecti hinc etiam in Sclavorum partem venerunt, quam nunc incolunt; quorum proinde idiomate utuntur: cujus regionis metropolis est *Praga*, *Casurgis* Ptolemæo.

In historia rerum Scoticarum.

BRITANNICA *vetus ea, quæ hodie VVallica, qua usi antequam Saxones, eâ devictâ lingua quóque suam intulissent.*] Narrat enim Iohannes Major, Vortigerum, regem Britannorum, in subsidium contra Pictos, aliosque hostes accersivisse Engistum, ducem Saxonum; qui fusis pulsisq; hostibus, ipse tandem in regni desiderium inciderit, à seque captum & occupatum *Engistlant* vocari voluerit: atque hinc unius vel alterius elementi metamorphôsi, ut sæpe fit, *Engellant* dici arbitratur: quumque antè VVallicâ linguâ usi essent, tunc Saxonicam à Victore, & ejus posteris paullatim inductam fuisse. Cæterùm sive Britannicæ sive VVallicæ linguæ quæ & *Cambrica* vocatur, isthoc quasi specimen adiicere placuit, initium nimirum capitis primi Geneseos:

1. *Yn ydechreuad y creawd Duw y nefœdd ar ddaiar.*

2. *Y ddaiar oed afluniaidd, a gwag, a thy wyllch [ydordd] ar wyneb y dyfnder, ac yſpryd Duw yn ymſymmud ar wyneb y deſroedd.*

3. *Yna Duw addy wedodd, biddod goleuni: a goleuni a fu.*

4. *Yna Duw a welodd y goleuni mai da [oedd] a Duw wahanod rhwng y poleuni ar tywyllch.*

5. *A Duw alwod y goleuni yn ddhyddar tywylch a alwodd yn nos. ar hwyr a fu, ar boran a fu, y dydd eyn taf, &c.*

BVLGARI.] Illyricâ utuntur linguâ. Nam quum è Scythia, unde ortum habent, egreſſi eſſent, eo tempore, quo de Imaginibus in Eccleſia fuit certatum, ac innumerâ multitudine, locuſtarum inſtar, ut teſtatur Nicephorus, Myſiam perluſtrâſſent, obvia quæque populati ac prædati, Macedoniam tandem occupârunt cum ulteriore Illyrico: dictiq; ſunt *Bulgari à Bulga*, fluvio trans Iſtrum, Septentrionem verſus. *Lib. 2.* *CANTABR. v. in Vascon.*

CAPPADOCVM.] Vt horum bruta barbaraque honeſtarum rerum inſcitia, cum extremâ morum feritate conjuncta fuit: ita & barbarum linguam fuiſſe à vero non abhorret. Quam ob barbariem nonnullis

videntur fuisse *Symplegades* illæ infestæ atque funestæ, Poetarum fabulis decantatæ; à quibus ipse quóque Pontus olim ἄξεινος fuit dictus. Idem arguit protritum: Τρία Κάππα πάκτια, *Tria Cappa pessima.* per quæ intelliguntur *Cretenses, Cilices,* atque *Cappadoces,* &c. Veruntamen locis nonnullis Cappadociæ & cultiorem linguam fuisse, credi possit, si quàm fidele hospitium eximiis Christi Ecclesiis ea præbuerit, memoriâ recolamus. Etenim illustres ibi fuerunt *Nazianzena* Ecclesia, celebris cive & episcopo Gregorio Nazianzeno, præceptore S. Hieronymi: & *Nissena,* clara Gregorio Nisseno, fratre S. Basilii: & *Sebastiena*; cujus episcopus fuit Eustathius, Macedonianæ hæresis sectator: & *Trapezuntina*; cujus episcopus quintæ Romanæ & Constantinopolitanæ synodo interfuit. Verùm inter omnes Cappadociæ ecclesias, quatuor potissimùm, ceu stellæ quædam, emicabant. Prima est *Cæsariensis*, à Cl. Tiberio Imper. ut vult Eusebius, vel, ut Hieronymus, ab Octavio Augusto, nomen sortita, clara inprimis eodem Basilio Magno: cui Iulianus Apostata, odio religionis Christianæ, cujus amore urbs illa flagrabat, obliterato *Cæsareæ* nomine, augustiore atque honorificentiore, vetus *Mazacæ* nomen,

nomen, inducere conatus fuit. Secunda est *Neocæsariensis*, Ponti Polemoniaci metropolis, cui sub Constantino Longinus præ fuit episcopus. Synodus Neocæsariensis hîc fuit celebrata, post Ancyranam, præsentibus episcopis XVII. conscribente decreta illius Gregorio Neocæsariense: in quibus Imaginum veneratio atque adoratio fuit damnata. Tertia erat *Amasiana*, ab altera Ponti illius metropoli, Euxinum versus sita: quæ à Mithridate Eup. primùm, postea à Pompejo M. *Magnopolis* fuit appellata, Strabonis geographi patria: cujus episcopi Phædimus & Basilius fuerunt præcipui. Quarta fuit *Thyanensis*, tribus superioribus laude ac dignitate fere par: ex qua Apollonius M. de quo Philostratus scribit, oriundus fuit. Floruit hæc quóque tum synodo Thyanensi, tum episcopis aliquot præstantibus. Quæ omnia arguunt, linguam apud omnes, & passim, in Cappadocia barbaram non fuisse. *vide acta Concilii Nicæni.*

CARES *Homerus βαρβαροφώνους appellavit.*] Quum enim & moribus barbari essent, sedem fixam non habentes, sed totam per Græciam errarent stipendia merentes, (unde Græcis χάρ est non tam *Caricum mancipium*, quàm homo nauci & nihili, qui ciceris est emtor, aliúsq; Carum more se mancipat,

μιαροφόρος aliter. quò alludens Cicero pro verbium vulgare inde profectum fuisse ait, *Si quid cum periculo experiri velis, in Caria id potissimùm esse faciendum:*) idcircò & linguâ omnino barbaram incultamque fuisse, à vero alienum non est.

Pro L. Flacco.

CHALDAICA *lingua.*] Hęc unâ cum Chaldæorum & Assyriorum Monarchia, liberalium artium cultu, legumq; ac jurium tractatione exculta, longè lateq; pomœria sua protulit. Sed, quod vehementer deplorandum, periit nobis maxima monumentorum pars, quibus antiquissima hæc lingua exarata, & παραδόσεως ad posteros transmissa fuit. Attamen vel ex perpaucis ejus, quæ etiamnum hodie exstant, vestigiis de amplitudine illius dubitare nemo possit. Aristotelem certè tantam rerum cognitionem non nisi ex Iudæorum & Chaldæorum, ut Zoroastris & similium, monumentis, quæ Physicam, Metaphysicam, Mathematicam, Politicam, Logicam denique continebant, hausisse Veteres crediderunt. Cui sententiæ plenissimam adstruit fidem Clearchus, Aristotelicæ Scholæ alumnus nobilissimus, in libro de Somno scribens, *Quòd, quum Aristoteles cum Hyperochide disceptaret, dixerit, Iudæus erat, qui ab altioribus Asiæ locis, ad maritimas*

timas civitates descendens, & linguâ & animo Græcus fuit. Quumque accidisset, ut eo tempore nos quoque in maritimis Asiæ locis versaremur, philosophiæ amore ad nos sponte venit, qui multò plura nobis attulit, quàm acceperit. Sic PlatoMagiam Zoroastris Chaldęi nihil aliud esse scripsit in Alcibiade, quàm divini cultus scientiam, qua filios Persarum reges erudiebant, ut ad exemplar mundanæ Reipub. suam ipsi regere Rempub addiscerent. In Epinomide deinde Chaldæis & Ægyptiis propter æstivi temporis in utraque regione serenitatem, ubi stellæ omnes clarè cernuntur, semper Astronomiæ tribuit inventionem, Chaldæumque quempiam auctorem nominum fuisse perhibet. Nam de Planeta Veneris verba faciens, ajt; *Lucifer*, qui & *Vesper*, Stella τῆς Ἀφροδίτης esse dicitur. quod Chaldæo nominum auctori valdè congruit. stella enim, quæ proximá sub Sole occupat, spæram, φωσφόρ& Græcis dicta, idem planè sonat, quod Hebræis *noghâh*, Babyloniis verò *noghehá*, quod est, *Lucifer*, sive *Stella rutilans ac splendens*, &c. Verum enimverò tam altas radices in corda hominum, maximè Principum, qui rerum potiti sunt, antequam Evangelii jubar aureos splendoris sui radios in totum orbem terrarum dispersisset, egit

Ambitio, vt primorum monumenta postremi semper conati sint intervertere, atque prorsus delere, quó facilius proprii nominis famam fumúmve, deleta priorum memoria, ad posteritatem propagarent. Hinc factum, ut quæ nugaces Græci de rebus divinis & humanis, a veteribus judæis & Chaldæis didicerant, ea in fabulas, & prodigiosa commenta subdolo ingenio commutarint, nec populis vicinis ingratitudinis furtique turpissimo crimine convicti, quasi graculi cæterarum avium plumis exuti, exsibilarentur & exploderentur. Vnde apparet, verissimum esse, quod Clemens Alex. in Stromatis, Eusebius in libris De præparatione Evang. Atticus Platonicus, Aristobulus, aliique graves auctores comprobant, gentiles, velut Aegyptios, Persas, Indos, Arabes, Græcos, veteresque Gallos & Hetruscos, si quæ habuerunt vel de rerum Naturæ causis egregia dogmata, vel de relligione mysteria, a judæis & Chaldæis omnia usurpasse.

Hebraicæ affinis est.] Quod Elias Levita his verbis testatur: *Præ cæteris linguis, sanctæ maximè affinis est Chaldaica.* Nam præcipua diversitas in terminatione, mutatione litterarum & punctorum articulorumque variatione consistit. Interdum tamen quædam apud Chaldæos vocabula occurrunt, quæ

quæ vel ab Hebræis non frequentantur, vel planè non usurpantur. In hac lingua Daniel & Esdras magnam partem conscripti sunt. Hujus linguæ vocabula nonnulla reperias in jobo, Proverbiis, jeremia, & alibi. In hac lingua exstant divinæ duæ paraphrases jonathani & Onkeli; quorum ille filius Vzielis fuit, discipulus Hillelis doctoris apud Hebræos præcipui, c annis ante desolationem Templi 11. hic verò filius sororis Titi, Vespaliani F. Quæ paraphrases insignem sacro textui lucem adferunt: & testimonia de Christo mirum quantum illustrant: tantaque apud judæos sunt authoritatis, ut divinis eas legibus æquiparare non dubitent. Quæ proinde a Christiano, disputante cum eis, commodissimè citari possunt, verbaque textus illarum testimonio confirmari & a calumnia vindicari: oratio tamen impurior & inelegantior est, quàm sit Danielis vel Esdræ. A quibus omnibus longè discrepat oratio Chaldaica paraphraseos Hierosolymitanæ; in quam, præter Assyrias & Babylonias voces, plurima quoque tum a Persis & Arabibus, tum a Græcis & Latinis petita vocabula irrepserunt. Cæterùm Chaldaica lingua peculares olim characteres habuit, ut ex 1. Dan. cap. apparet Litteras. n. pueros a rege Chal. ad id delectos primò docuerũt: deinde

etiam linguam ipsam tradiderũt. Postea a judæis cœpta est figuris Hebraicis scribi: qui jam a M. annis, & suprà, teste Munstero, Chaldaicas translationes & expositiones aliter non habuerunt.

COLCHIS *lingua eadem est, quæ Aegyptiis.*] Hariolantur enim vetustissimus ille & optimus scriptor Herodotus, atque alii præterea Græci, Colchos ab Ægyptiis originem ducere: ut propterea μιτήλυδας αἰγύπτιοι eos vocarit Dionys. ὁπεριηγητής. quod tribus ferè conjecturis probare nititur: *primâ*, a coloris atri, & capillorum crisporum similitudine: secundâ, a Circumcisionis ritu, quem ad ætatem usq; suam retinuerint: tertiâ, a sacrificii & linguæ communione. Verùm ob has ipsas conjecturas, vel plerasque certè, Israëlitarum potiùs, quos ex decem tribus a Salmanassaro, Assyriorum Imp. in Colchos & Iberos traductos, ex sacris libris constat, propaginem esse Colchos videtur. Colchi enim totidem & iisdem litteris a scriptura vocantur: & Circumcisionis ceremonia a judæis, non Ægyptiis primò profecta est: & ater fuscusque color etiamnum hodie judæis non insolens est.

CORALLI,] Populi Pontici, flumen Istrum & Rhodopem, montemque Æmum adco-

adcolentes, immanitate atque barbarie insignes. Vnde & incultiori adeoque barbarâ linguâ utuntur.

CRETENSES.] Incolæ insulæ Cretæ vel *Candiæ*; quæ in mediterraneo mari sita, centum urbibus clara, unde ἑκατόμπολις cognominata, & longa CCLXX passuum millia, lata L, rotunda DLXXX. Græco utebatur sermone: ut colligitur cùm ex isto Pauli loco ad Tit. 1. 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, &c. Græcos omnes intelligentis: tum ex hoc Eustathii, „πένδειν ἐν τῷ πείδειν παρῆκται ἐοπῇ τῷ ι εἰς ν, κατὰ γλῶσσαν Ἀργείων καὶ Κρητῶν, &c. tum denique ex proverbiis Græcis, apud Cretenses natis: ut, πρὸς Κρῆτα κρητίζειν, *Adversus mendaces mendaciis uti*: & ὁ Κρὴς τὸν Κρῆτα, *De improbo agente cum improbo.* quod idem, ac Κρὴς πρὸς Αἰγινήτην, *Cretensis cum Aegenita*, &c. Hoc tamen tempore Græcus sermo in Creta ferè exolevit, & Italicus, Venetus nimirum, successit. In Venetorum enim est potestate, ab anno Servatoris M. CXLIV.

CROATI, *Illyricè loquuntur.*] Quippe sub Illyricis populis olim, & nunc, comprehensi. Vnde non tam *Croati* vel *Croatii*, quàm *Corbatii* & *Corvatii*, μεταθέσει τοῦ ο, *Libur-*

ni item & *Valerii* sunt dicti.

CYPRVS.] Hujus insulæ fuisse olim Græcæ linguæ usum, præter meosium nomina, alia etiam documenta sunt. Græco certè nomine, quia dives admodum, & miræ fertilitatis fuit, Μακαρία hoc est, *beata* seu *fortunata* fuit dicta: nomenque dedit τῷ κύπρῳ arbusculæ, *Ligustro* Latinis, propterea quòd in hac Insula odoris suavitate præstat.

CYRNI.] Incolæ Cyrni, Insulæ maris Ligustici, *Corsicæ* Latinis a *Corse*, bubulci ancilla, dictæ. Hi quum latrociniorum immanitate & morum barbarie infames essent, locum dederũt proverbiis Κρυνία ἄτη, *De magnis stipendiis et expilationibus*: & Κυρνιάχη, *De regione latrociniis infestâ*: sive *Hominibus* λῃστρικοῖς, *alieni rapacibus ac violentis*, qua ignominia gens Cyrnensis hodie adhuc malè audit apud Italos, præsertim Genuenses, quorum lingua utitur. His enim paruit jamdiu, Ademarci Navarchi auspiciis Mauris erepta.

Lib. 7. DACORVM & *Getarum sermo idem.* Sunt enim Daci Getis proximi ad ortum, teste Strabone; dicti quondam non Daci tantùm, sed & Davi: a quibus *Davorum* & *Getarum* nomina Athenienses videntur sum-

sumpsisse. Vnde & in comœdiis servi introducti *Davi* & *Getæ* nominabantur. Horum tota regio *Vualachiæ* nomine hodie est cognita.

DALMATICA *lingua vide Illyrica.*] Est enim Dalmatia Illyrici regio, contermina Liburniæ, hoc est, Croatiæ, versus occasum: a qua dicti Δάλμαται, populi ab Augusto domiti, ut scribit Appianus. In linguam veterem Dalmaticam S. Hieronymus libros veteris Testamenti, tanquam in patriam, transtulit, anno Servatoris CCCC.

DORICA *lingua.*] Hæc inter Græcæ linguæ dialectos est insuavior & incomtior. Vnde, qui eâ utebantur, Dorienses, πλατυσμοι, & mulierculæ apud Theocritum πλατυάσδοισαι ἅπαντα, *lata ac diducta ore omnia pronunciantes* dicebantur, ob crebriorem nimirum usum litteræ a, quo nomine ab Aristophane Dores videntur, non in Nubibus solùm, sed & alibi: ubi Dorismis utitur. Cæterùm in Peloponneso dialectus hæc indigena fuit: Spartanis tamen cumprimis, quippe Dorum nobilissimis: tum & Argivis, & Rhodiis, & Creetensibus & aliis. Inter scriptores ea potissimùm sunt usi Pindarus, Theocritus, Ibycus, Bacchylides, Simonides, singulari studio & consilio elegantissimè:

ita tamen, ut in monumentis eorum alias etiam dialectos videre liceat. Verùm Doricè inprimis locuti censentur Pindarus & Theocritus, quòd in utriusque carmine Dorismus ante alias dominetur. De hac dialecto exstat dictionarium peculiare a C. V. Francisco Porto editum Francofurti, Anno M. DC III.

ELAMITAE *Arabiæ gens.*] Ad sinum videlicet Arabicum. Iosephus Elamitas vel Elemitas vocat Persarum Principes, Straboni *Elymæos* dictos, ab Elymaide, regione ad sinum Persicum, ab ipsa Perside Orati flumine discretâ, Hebræis *Helám* vel Elam, a Semi filio: ut idem Iosephus testatur.

Plin. l. 6. cap. 28.

EPIROTARVM *lingua Illyrica est.*] Hoc quidem tempore; quo regio eorum *Albania* vel *Cimera* dicitur. Antiquitus, enim quum Græciæ regio esset, in qua rex Pyrrhus regnavit, Græco utebantur sermone, donec a Romanis ob iteratam defectionem in solitudinem redacta fuit.

GALATAE.] Incolæ minoris Asiæ, ut notum: Sic dicti a *Gallis*; qui quum a rege Bithyniæ in auxilium vocati venissent, capta dirutaque ab eis Roma, & victis Macedonibus, eam partem regni tenuerunt, quæ *Gallatia* postea ab eis est dicta. Et quia Græci quoq; cum eis in auxiliũ vocabantur *Gallo-*

Græci

Græci facrunt dicti. Vulgus tamen *Galatas* dici vult ἀπὸ τῦ γάλακτ☉, *a lacte*, quòd homines lacteos, hoc est, albos regio illa produceret. quanquam alii cum Diodoro opinantur huic regioni Galatam, filiam Herculis, nomen dedisse.

Trocini Germani populi a lacessendo dicti.] Puta vel à Latina *Trux* seu *Truculenti* voce; vel ab Germanica, Trotzen vel Trutzen, quod est, Minis insolenter lacessere vel provocare.

Tolliſtobogi a ferendis arcubus cognominati.] Nimirum a *Tollendi* verbo Latinorum, & bog vel bogen Germanorum, *arcum* notante: nisi malis dictos quasi *Teliſtobogos*, a telis: vel *Baliſtobogos*, a baliſta, voce Latino germanica, ejusdem sensus, quasi populos instructos peritia jaculandi, hoc est, bellicosos. Quo certè tropo *jaculans sagittarius* dicitur bellicosus *Ismaël*: &, *Arcu valentes*, milites bellicosiores, cum Saule desiderati: &, *Armati jaculantes arcu*, posteri Ephraimi, peritia & rebus militaribus, sive ad defendendum, sive ad lædendum instructi. Gen. 21, 20. 1. Sam. 2, 24 Psal. 78, 9.

GALLI.] Quia Gallorum apud Auctores multiplex appellatio est, sub qua continentur non tam Celto Franci, quàm

bona Germanorum & Italorum pars: ideò aliis atque aliis linguis eos usos, mirum non est. Cisalpini enim usi sunt Italica (prout Cisalpina Gallia pars est Italiæ, *Lombardia* hodie dicta:) Transalpini verò vel Belgarum, hoc est, Germanorum (Belgica quandoquidem majorem partem ad Germaniam videtur spectare:) vel Francorum linguâ utuntur; quæ propria hodie eorum est, & post hominum memoriam miris modis exornata; in qua monumentis suis præclaris floruerunt, & etiamnum florent, magnus numerus Theologorum, Iureconsultorum, Medicorum, Oratorum, Poetarum, &c. interque hos ille Poetarum Gallicorum coryphæus Sallustius, Barthasii Dominus, &c. cujus poëmata apud exteros etiam in laude sunt. Sallustium, eodem in argumento τῆς πίστεως ἐξημέρου, nõ in feliciori gradu recens assecutus est Christophorus, Gamânis Dominus, &c. Plura de hac lingua, cùm veterum recentiori, monere vel addere supervacaneum duco, καὶ παρὰ λόγον, quum Mithridates omnia ad eam pertinentia, non indiligenter aut παρέργως, sed δι' ὅλων ἀκρίβειαν persecutus sit.

Videntur igitur Druidæ dicti a fide.] Etsi assentior iis, qui Druidas dictos volũt a *Dru*, vel

vel *Drau*, vel *Drou*, quæ vox Germanis priſcis eſt *fides*, quòd videlicet Druidibus, tanquam ſacerdotibus ac ſapientibus fides meritò a vulgo haberetur: tamen putem atque adeò credam, dictos etiam eſſe quaſi *Druchtenas* vel *Truhtinas* a *Truhtin* vel *Drychten*. quod epitheton eſt Servatoris proprium, & perpetuum apud vetuſtos Germanos, Otfridum, Notgerum, Vuilleramum, Alfredum & alios: ut eſt a nobiliſs. & eruditiſs. Frehero annotatum. Eſt autem *Truhtin* vel *Drychten*, idem, quod *Dominus*. quo per excellentiam inſignitur Dominorum Dominus &c. Hinc *Truhtintiche tage* dies Dominica: & *Druhtineshaus*, templum Dominicum apud Otfridum frequens: & *Druhtines Scalche* diſcipuli, miniſtri, apoſtoli Domini, &c. *Scalche* quidem dicti, quod notes ἐν παρόδῳ, ab Hebræo *Scalách*, *mittere emittere*, &c. ut certè Apoſt. ἀπὸ τῦ ἀποςέλλειν dicti Græcis. Germani enim, ut cæteræ gentes, ab Hebræis non pauca vocabula ſunt mutuati: niſi fortè malis dictos ab antiquo Germanico *Scalc*, vel ſchalc, quod miniſtrũ, vel ſervũ ſignificat in Barſchalc, Marſchalc, & ſimilibus; quæ nota ſunt. Cæterùm Druidæ Domini κατ' ἐξοχήν videntur dicti: propterea quòd olim rebus divinis interfue-

sunt, & præfuerunt, sacrificia publica & privata procurârunt, religiones interpretati sunt, ad eosque magnus adolescentiæ numerus disciplinæ caussâ concurrit, &c. sicut egregriè disserit Cæsar. Ob quam sanè dignitatem & munera, non tam a generali *Domini* sensu vocis *Truthin*, vel *Drychten*, quàm a synecdochica apud Islandos & Norvagos usitatâ, qua peculiariter *Deum* significat, qua si *Dominum*, *Dominorũ* Druidas dictos esse existimatur, tanquam in tanto apud Gallos olim honore, ut ceu Dii quidam de omnibus cõtroversiis publicis priuatisq; cõstituerint

Lib. 6. bello Gal.

DE GERMANORVM lingua.] Iis, quæ Auctor longo filo intertexit de lingua Germanica veteri & recentiori, libet adtexere Oration-m Dominicam, & symbolum Apostolicum, Germanicè ad verbum reddita, ante aliquot secula, priusquam Germanica nostra lingua scribi putaretur, paullò quidem diversa ab iis, quę, pręter Gesnerum, in Chronicis Helveticis Stumpfius ponit: cujus utriusque redditionem idem Freherus, ex S. Galli vetustissimo codice M.S. Notis suis luculenter recèns exposuit.

1. Oratio Dominica ita habet:

Fatter unseer, thu pist in Himile. Vuihi namun dinan. Qheme rihi din. Vuerde willo din, so in Himile, sosa in erdu. Prooth unseer emezhic

hic kip vns hiutu. Oblaz vns sculdi unseero, so wir oblazen vns sculdiken. en ti ni vnsih firletti in khorunka. uzz erlosi vns ih fona ubile.

Hîc nota obiter linguarum quarundam affinitatem. *Fater* congruit cum Latinorum *pater*, symbolismo Labialium: *vnseer* cum *νοῦς* Græcorum, metathesi τοῦ ν: *thu* cum *tu* Latinorum: *Himile* cum Gothorum *Himina*, mutatione Liquidę: *Vuyhi* cum *wyhen*, cedere de usu profano in sacrum, quod est sanctificari:, *namun* cum *nomine* Latinorum, vel ὄνομα Græcorum: *qheme* cum *kum*, vel *qum* Hebræorum, surgere, ad veniendum scilicet, & eundum: *rihi* cum *regno*, quod nunc *rych* vel *reych* dicimus, omisso c, quod aspirationi rarò jungebant Majores nostri: *Willo* cum *velle* Latinorum: *erdu* cum Græco ἐρείδω syncopâ τοῦ ει, *firmo*, *stabilio*, &c. pro ut terra fundata est super firmitates suas, ne nutet in seculum, vel cum Hebræo *éretz*, *terra*, mutatione tzadi in dàleth: *prooth* cum βρωτὸς vel βρωτὸν, *cibus*, *esca*. ut est panis. &c. Cętera, quæ merè Germanica sunt petere licet, ex Notis commemoratis. *Psal. 104.*

11. Symbolũ deinde Apostolorũ sic habet:

Kilaubu in Kot fater almahticun, Kiscaf himiles en ti erdu. En ti in Ihesum Christ, sun sinan ainacun, vnseran Truhtin. Der inphangen

ist fona wihemu Keste. Kiporan fona Mariam Macadi ew keru. Kimartrot in ki walti Pilates, meruet pistacan, tot, enti pitrapan, stehic in w z zi, in druttin take erstoonte fona totten. Stehic in himel. Sizit z a zesun Cotes fateres almahtikin. Thana chumftic ist sonen qhuekhe en ti te te. Kilaubu in wihan Kest. In wiha khirihhun Catholica, wihero keminitha. Vrlaz sunt. Kero flettces urstodahi. Int lup ewi. Hæc quia germanè Germanica, & lucidè illustrata habes ab eodē Frehero, plura addere nolo: nisi quòd vocem Kest, quæ *spiritum* significat syncopâ τοῦ ᾰ reduci posse videatur ad *kadesch* Hebræorum, *sanctum* vel *sacrum*. Est enim spiritus S. sanctus perse, & alios sanctificat, &c.

Cantilenas ferè comprehendebant & celebrabant veteres Germani, quæ memoriæ tradere volebant.] Testes pareneses Tyrolis regis Scotorum, Vvinsbekii equitis Germani, & Vvinsbekiæ nobilis feminæ Germanæ, abhinc quadringentos, & quod excurrit, annos, scriptæ linguâ Germanicâ ad filios: quas ex bibliotheca, C. V. Barth. Schobingeri I. C. in lucem non pridē protulit N. V. Melchior Haiminsfeldius Goldastus, de re litteraria bene meritissimus, amicus noster singularis.

GETAE iidem sunt, qui Gothi.] Rectè. Sive autem Getas appelles sive Gothos, gens sunt vetusta atq; præstans: de cujus origine, & rebus gestis, præter Goropium Becanum

abunde multa dixerunt & scripserunt Iornandes Episcopus Ravennas, Isidorus, Procopius, & alii, qui ex recognitione & cum Notis Bon. Vulcanii nuper in lucem prodierunt, quem, si placet, adi & audi:

Oratio Dominica in lingua Gothica ita habet.

Atta unsar, thu in Himma. Weihnai namo thein. Vimai thiadinassus theins Wairthai wilga theins, sue in Himma, gah ana airthai Hlaif unserana thana sinteinan gif uns himma daga. Gah aflet uns thatei sculans bi gaima sua sue gah weis afletam thaim sculam unsaraim. Gah ni briggais uns in fraestubnga, ak lausei uns af thamma ubilin. Unte theina ist thingardi, gah mahts, gah wulthus in aiwins, Amen.

Hìc Atta Gothis est pater, ut ătte, vel ătti plebi Helvetiorum: unsar *noster* ab Germanis discrepat nonnisi literâ e: & Himina *cœlum* non nisi l. Quod Germanis est w hi *sanctificetur*, id Gothis est weyhnai, ab eodem fonte wyhen vel weyhen: *vimai* a veniendo Latinorum videtur ortum, nisi malis, Latinum ortum a Gothico: & *thiadinassus* cum Græco λαϊκὸς affinitatẽ habet: *wairthai* fiat Germanis est werde: *wilga* willo: *sueso*: *gah* enti vel vnti, quod cum *ac* Latinorum ferè congruit prosthesi litteræ, g & aphæresi c, ipsis & priscis Germanis tritâ: *ana* idem quod

hodiernum auch: *airthai* priſcis Germanis eſt erdu, originis hebræę, de qua ſuprà. *Hlaif* panis Gothis eſt idem, quod hodiernis Germanis inferioribus leif vel laif, ſuperioribus verò leib, demtâ aſpiratione, ſubintellige *panis*, ein leib brot: *thana* articulus: *ſintenan* à ſyriaco ſun. vel ſinkanan haud dubiè natum, ut intelligatur panis neceſsitatis, qui ſcilicet quotidie nobis eſt neceſſarius: in quem certè ſenſum Syrus interpres Græcam vocem
Mat. 6, 11. ἐπιούσιον expreſsè vertit, *lachmâ deſurkanan*, panem neceſsitatis a verbo *ſenák*, indigere, opus habere Matth. 3, 14. *Himmadaga* compoſitum ex *him* vel *hem*, hoc vel ipſum, & *daga* dies, quod Germani priſci unà voce *hiutu*, & hodierni hût vel heutt exprimunt: *aflet*, Germanis priſcis *oblaz*, dimitte, a themate *aflaten*, vel ablaßen: *ſculam* Germanis *ſculdi* vel *ſculti*, noxæ, crimina, metonymicè debita pro noxis vel criminibus. unde *ſculteis*, debita pro noxis exigens. *Eis* enim ſive *eiſch*, & cum aſpiratione *heiſch* eſt *poſtulo*, *exigo* &c. Sic quod Gothis eſt *ſua* vel *ſue*, Germanis eſt *ſo* vel *ſoſa*, ſicut, velut: *weis* Germanis *Wir*, nos: *ni* congruit cum νὴ privativa particula Græcâ: *briggais*, Germanis *firletti*, inducas, nobis ſcriberetur bringe/verleite: *fraeſtubngai* Gothicum merum, priſcis Germanis *korunka*, hodiernis verſuchung:

ak

ak Germanis *uzz*, sed, verùm, simile Latinorum *at*: *lausei* Germanis *erloſi*, libera: *thamma* articulus, hoc vel illo: *ubilm* Germanis *ubile*: *unte*, nam, quia: *thingardi* regnum, quasi *kingardi* (quo certè modo legendum putem:) *mahs* potentia, hodiernis macht: *wulthus* quasi *Walthus*, potentia conjuncta cum gloria, Germanis priscis *kiwalti*, hodiernis gewalt: *aiwins* æternum, sempiternum, idem quod Cimbricum evich, ab ev, *Seculum* significante, ut *ævum* Latinorum.

Hæc & alia hoc loco observari possint: quæ arguunt, etsi pleraque Gothica magnopere conveniant cum Alamanicis vel Teutonicis priscis: tamen infinitis quóque vocibus utrosq; inter se discrepare: adeò ut qui vel in omnibus convenientiam investigare, vel omnia Getica sive Gothica ad Teutonicam reducere velit, quod demonstrare nixus est Goropius Becanus, ille operam oleumq; perdere videatur. Hoc certè constat ex utriusqué linguæ inter se collatione, Alamanicam sive Teutonicam nostram, cùm superiorem, tum inferiorem, maximâ præstantissimorum & significantissimorum vocabulorum accessione locupletari atque exornari posse.

Hæc de Getis vel Gothis Septentrionalibus.

Ad Orientales quod attinet, dictos Ostrogothos; qui etiamnum hac tempestate Tauricam Chersonnesum incolunt: propinquius hi ad linguam Germanicam accedunt: ut liquidissimè apparet ex Augerii Busbequii, Caroli v. Imperatoris apud Turcarum Imp. legati relatione, quam suis de legatione Turcicâ epistolis inseruit: cujus hæc sunt verba:

Non possum hoc loco pręterire quę de gente accepi, quæ etiamnum incolit Tauricam Chersonnesum, quam sæpe audiveram sermone, moribus, ore denique ipso, & corporis habitu originem Germanicam referre. Itaq; me diu cupiditas tenuit videndi ab ea gente aliquem, & si fieri posset, eruendi aliquid, quod eâ linguâ scriptum esset: sed hoc consequi non potui. Casus tamen utcunque desiderio meo satisfecit. Quum essent duo illinc delegati, qui nescio quas querelas, nomine ejus gentis, ad Principem deferrent, meiq; interpretes in eos incidissent, memores quid eis mandassem, si id usuveniret, ad prandium illos ad me adduxerunt. Alter erat procerior, toto ore ingenuam quandam simplicitatem præ se ferens, ut Flander videretur aut Batavus: alter erat brevior, compactior corpore, colore fusco, ortu & sermone Græcus, sed qui frequenti com-

commercio non contemnendum ejus linguæ usum haberet. Nam superior vicinitate & frequenti Græcorum consuetudine sic eorum sermonem imbiberat, ut popularis sui esset oblitus. Interrogatus de natura & moribus illorum populorum, congruentia respondebat. Ajebat gentem esse bellicosam, quæ complures pagos hodieq; incoleret: ex quibus Tartarorum regulus, quum expediret, octingentos pedites sclopetarios scribere, præcipuum suarum copiarum firmamentum: primarias eorum urbes, alteram *Manep* vocari, alteram *Scivarin*. Ad hæc multa de Tartaris eorumq; barbarie: in quibus tamen singulari sapientiâ non paucos reperiri memorabat. Nam de rebus gravissimis interrogatos, breviter atque appositè respondere. Eâ de causâ non temerè dictitare Turcas, reliquas quidem nationes scriptam in libris habere sapientiam, Tartaros libros suos devorâsse; ideoque in pectoribus eam habere reconditam, quam promant, quum opus sit, & veluti divina fundant oracula.

Nunc adscribam pauca vocabula de multis, quæ Germanica reddebat. Nam haud minùs multorum planè diversa à nostris erat forma, sive quòd ejus linguæ natura id ferat, sive quòd eum fugiebat memoria, & peregrina cum vernaculis mutabat. Omnibus

verò dictionibus præponebat articulũ tho, aut the. Noſtratia autem parum diſsimilia hæc erant:

Brot	Panis.
Plut	Sanguis.
Stul	Sedes.
Hus	Domus.
VVingaert	Vitis.
Regen	Pluvia.
Bruder	Frater.
Schuueſter	Soror.
Alt	Senex.
VVynth	Ventus.
Silver	Argentum.
Goltz	Aurum.
Korn	Triticum.
Zalt	Sal.
Fiſch	Piſcis.
Hooft	Caput.
Thurn	Porta.
Stern	Stella.
Son	Sol.
Maen	Luna.
Tag	Dies.
Oogen	Oculi.
Bard	Barba.
Handa	Manus.
Boga	Arcus.
Miera	Formica.

Rinck

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [232] - 110v
PUBLIC DOMAIN

Rinck	Annulus.
Brunna	Fons.
VVagen	Currus
Appel	Pomum.
Schieten	Mittere ſagittam.
Schlipen	Dormire.
Kommen	Venire.
Singen	Canere.
Lacken	Ridere.
Criten	Flere.
Geen	Ire.
Breen	Aſſare.
Schuualth	Mors,&c.

Knauen tag erat illi, *Bonus dies*. Nam Knaven, *Bonum* dicebat: & pleraque alia cum noſtrâ linguâ non ſatis congruentia uſurpabat,&c.

Iel	Vita,ſive ſanitas.
Ieltſch	Vivus,ſive ſanus.
Iel uburt	Sit ſanum.
Marzus	Nuptiæ.
Schuos	Sponſa.
Statz	Terra.
Ada	Ovum.
Ano	Gallina.
Telich	Stultus.
Stap	Capra.
Gadeltha	Pulchrum.
Atochta	Malum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [233] - 111r
PUBLIC DOMAIN

VVichtgata	Album.
Mycha	Enſis.
Schediit	Lux.
Borrotsch	Voluntas.
Cadarjou	Miles.
Kilemſch kop	Ebibe calicem.
Tzo warthata	Tu feciſti.
Ies warthata	Ille fecit.
Ich malthata	Ego dico, &c.

Iuſſus, ita numerabat: *Ita, tua, tria, fyder, fyul, ſeis, ſevene, athe, nyne, thyne, thynita, thunetua, thanetrya*, &c.

Viginti dicebat *Stega*, XXX. *treythien*, XL. *furdeythien*, C. *Sada*, M *Hazer*.

Quinetiam cantilenam ejus linguæ recitabat, cujus initium erat hujuſmodi:

VVara Wara mgdolou
Scute gira Galizou
Hoemiſc lep dorbiza ea.

GRÆCA, *in qua Novum Teſtamentum conſcriptum eſt.* ☐ Immò & Vetus. Ptolemæus enim Ægyptiorum rex, Philadelphus cognomine, quum eſſet litterarum, & litteratorum amantiſſimus, ac aliquot centena millia librorum ex toto Orbe collegiſſet, res quóq; Hebræorum ſibi deſcribi, maximè verò Legem pernoſcere cupiebat. Itaq; ab Eleazare, Hebræorum Pontifice, LXXII. ſelectiſſimos impetrat viros, qui ſacram Scripturam veteris

veteris Testamenti, ex Hebræo in Græcum sermonẽ transtulerunt circa annũ CCLXXX ante Christum natum in carne. Novum verò Testamentum Græcè conscripserunt Evangelistæ & Apostoli ipsi: qua linguâ comprehensum, in Ecclesiis populi Dei, singulari ejus beneficio, manet adhuc. Anno deinde Christi CXXIX. Imperatore Ælio Adriano, Aquila Ponticus ex gentili Christianus, ex Christiano Iudæus factus, Iudęorũ linguam, didicit, ac de novo vetus Testamentum ex Hebræo in Græcam linguam transtulit. Hieronymus: *Aquila proselytus & contentiosius interpres, non solùm verba, sed etymologias verborum transferre conatus est*, &c. Et, *De Aquila autem non miror, quòd homõ eruditissimus linguæ Hebraicæ, & verbum è verbo exprimens*, &c. *Epist ad Pammachũ & in Es. cap 49.* Anno Christi CXXC, Imp. Commodo, Theodotio Ponticus, ex Sectatoribus Marcionis, infensus & ipse ejus hæresi, & ad Iudaismum declinans, & circumcisus, & Hebręorum linguam ipsorumq; elementa edoctus, privatim etiam ipse interpretationem, & pleraq; consonanter cum LXXII. edidit: Testis Epiphanius de Mensuris. Anno Christi CC. Imp. Severo, Symmachus, à Samaritanis ad Iudæos in Christum credentes deficiens, novam sacrę Scripturæ interpretationem Græcam edidit. Hieronymus: *in Ier. c. 32*

Symmachus *nõ verbũ ex verbo, ut ante ipsum Aquila fecit, sed sententias sententijs juxta intelligentiæ ordinem expreßit.* Anno Christi CCXIX, Imper. Antonio Caracalla, inventa fuit in urbe Iericho alia sacræ Scripturæ ex Hebræo in Græcum interpretatio, quę Quinta editio appellata fuit: Testis idem Epiphanius. Anno Christi CCXXX. denuo nova reperta est interpretatio, quæ Sexta editio dicta. De hac Epiphanius citato libro: *Post hunc regnavit Alexander, Mamææ filius, annos tredecim: in medio horum temporum inventa est Sexta editio in Nicopoli ad Orientem sitâ.* Origenes studio conservandæ sacrę Scripturæ in Ecclesia adductus, conjunxit primùm quatuor priores Græcas, LXX, Aquilæ, Theodotionis & Symmachi, ita ut columnis oppositis sibi responderent: atque appellata fuerunt *Biblia tetrapla*. Postmodum præmittens illis textum Hebraicum Hebraicis characteribus scriptum, & eundem Græcis litteris exaratum, appellavit ea Hexapla. Denique quum inventæ essent Quinta & Sexta editiones; eas quòque prioribus distinctis columnis addidit. unde *Octopla* emanârunt. Anno Christi CCC. & paullò ulteriùs, LXX. Interpretum translatio emendata fuit à Luciano Martyre & Hesychio. Hieronymus: *Alexandria & Aegyptus in Septuaginta sui Hesy-*

Præfat in lib. Paral.

Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usq; Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat: mediæ inter has provinciæ Palæstinos Codices legunt; quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphylus evulgaverunt, totusq; orbis hac inter se trifariâ varietate compugnat. Eusebius: *Lucianus omnes libros sacros rursus sumpsit, & ex linguâ renovavit Hebraicâ; quam ipsam sciebat quoq; accuratissimè, in eis corrigendis plurimùm laboris conferens.*

HEBRAEA.] Ea est, quam Deus nostros primos parentes in paradiso docuit, & hi postea suos posteros. Vnde porrò ad alios, tanquam vernacula, est propagata. Quod arguit, linguam Hebraicam vetustiorem & excellentiorem reliquis omnibus esse: ut quæ ab ipso Deo, ceu summo bono, prolata, inq; vera Ecclesia conservata fuit. Adde, omnes gentes, in universo orbe nobis cognitas, vocabula nonnulla Hebraica adhuc retinere. Quod inprimis in Chaldaica, Syriaca, Arabica, Ægyptiaca, Persica, Æthiopica, Troglodytica, Punica, quanquam in una magis, in altera minùs, notârunt ii, qui cognitionem harũ linguarum habent. Idem judicant de Græca, Latina, Gothica, Germanica, Hispanica, Italica, Anglica, Ruthenica, Sarmatica, Vandalica: adeo ut negari non possit, Hebraicam linguam scaturiginem & matricem, sicut S. Hie

ronymus eam ſcitè vocat, & ab ea omnes reliquas in orbem propagatas eſſe. Vnde duplex error confutatur: primus eorum, qui Terram & Lunam progenitrices aſciſcentes, atque ab iis originem ſuam deducentes inde linguam ſuam omnium vetuſtiſſimam cenſent, ſicut olim Phryges & Ægyptii de hac prærogativa diu inter ſe cõtenderunt. Alter eorum, inter quos fuit Goropius Becanus, qui noſtro ſeculo, ingenioſo quidem commento, præferunt Hebraicæ, Græcæ & Latinæ Cimbricam linguã, hoc eſt, antiquam Germanicam, quæ in inferiore Germania & Belgio uſitata eſt: quam nihil ab Hebraica, ſed potiùs hanc ab illa adminicula ſumpſiſſe, multis argumentis conantur demonſtrare: Imò, quod plus eſt, ſibi & aliis perſuadere nituntur, Adamum Germanicè in paradiſo locutum, ſicq; hanc ut longè antiquiorem ita præſtantiorem, & ab ea, tanquam ex fonte, omnes alias linguas in univerſo orbe fluxiſſe, quod acuti ingenii exercitium jucundum potiùs lectu, quàm vera eſſe, quæ arguit, à pleriſq; exiſtimatur. Cęterùm *Hebræa* dicta fuit ab *Heber*, nepote Semi; cujus in familia, quæ Nimrothicæ turbæ in conſtruenda turri Babylonica non adhæſerat, unà cum puriore doctrina, inviolata permanſit, donec amiſſâ dignitate regni, & populo in captiuitatem

tatem abducto, majorem partem amissa est, penitusq; defeciſſet, ni ſacra volumina divinitus excitatis, tum Hebræis, tum Chriſtianis; ad hunc uſque diem conſervata fuiſſent: His ultimis quidem temporibus, Iohannes Capniõ, vulgò Reuchlinus, IC. & Maximiliani I. Imp. ac Eberhardi I. Ducis VVirtembergenſis Conſiliarius, & totius Sueviæ Triumvir, ſummo ſtudio eam inter Chriſtianos illuſtravit & propagavit, edito primùm libro de Verbo mirifico, referto ſapientiâ arcanâ Hebræorum: Grammaticâ item & Lexico Hebraico, anno M. D. VI. ac decennio poſt tribus libris de arte Kabaliſticâ. Quem attigerunt in Hiſpania Petrus Galatinus: in Italia Felix Pratenſis, Daniel Bombergus, Elias Levita Iudæus Germanus, Romæ tunc degens: in Galliâ Santes Pagninus, Poſtellus, Vatablus; quos ſubſecuti ſunt Tremellius, Iunius, Mercerus, Bertramus, Cephalerius uterque: in Germaniâ Munſterus, Forſterus, Fagius, Avenarius, & alii; quibus non poſtremus accenſeri debet Buxtorffius noſter in inclytâ Rauracorum Auguſtâ; qui vel præceptis vel lexicis, vel utroque, linguam Hebræam majorem in modum illuſtrârunt, amplificârunt, propagârunt, hacq; ratione ſtudioſis, inprimis Theologiæ, commendârunt. Et cui non merito ſtudium hujus lin-

guæ percommendatum sit, quum constet, in eâ primùm descriptam esse Theologiam, origine cœlestem, majestate divinam; officio servatricem generis Mortalium, institutam à Deo patre, revelatam à Iesu Christo, scriptis consignatam à Spiritu sancto? In qua Deus cum Adamo, Patriarchis, Prophetis: Angeli nobiscum, nos cum illis, Sancti inter se confabulantur, Deiq; arcana proloquuntur: è quîs non lucellum facimus tenue, exile: in quîs non pascimur fumo inanis gloriolæ, aut citò pœnitendam voluptatulam ligurimus: sed honesta, perennia, solida, summa bona consequimur: quibuscum illecebræ, honores, divitiæ, commoditates, suavitates omnes si comparentur, nugæ, fæces, sordes sunt? Peponem profectò loco cordis habet, quem admiranda hæc celsitas dignitasque linguæ sanctæ Hebrææ non maximopere delectet: cui dignitate hac nihil dignius, antiquitate antiquius sit: præsertim homini, ad sacra sanctissimæ relligionis mysteria admittendo, & in augustissima Dei, tanquam adyta, introducendo. Adde, quòd multi sancti & eruditi viri autumant, sicut ante ædificationem Turris unâ omnes linguâ utebantur: ita conversis hominibus ad veri Dei cultum, sublatâ linguarum confusione, & varietate, ex superbia ortâ.

tâ, omnes ſancta lingua Hebræa iterum uſuros. Quod ſive hoc, ſive futuro ſeculo fiat, meritò ſanè lingua incredibiles ſui apud quem vis amores excitare debet.

HETRVSCAM *linguam hodie nullam eſſe puto.*] Propriam nimirum & peculiarem. Nam Hetruſci vulgo dicti, lingua utuntur Italica politiore ; quorum caput eſt illa

Splendida ſolertes ălens Florentia cives.

Hetruſcos Antiquitas ab Hetruria vocavit, quaſi ἑτεροροείς, incolas τῦ ἑτέρυ ὄρυς; quòd regio eorum extenderetur ad alteram ripam Tiberis, qui terminus eſt inter Latium & Hetruriam. Vulgus *Tuſcanam* hodie vocat.

Latonem Hetruſci vocant nobilem principem, ut hodie Baronem Hiſpani.] Nec non Galli, & aliæ gentes. quanquam Gallorum priſca lingua, barones propriè dicti milites principales, quibus militiæ onus eſt remiſſum, &c. Quicquid ſit, orta *Baronis* vox videtur ab Hebræa *bar*, *purum* vel *mundum* declarante, ut *Baro* ſit, qui vel ortu purus rus ac mundus eſt, hoc eſt, nulla τῆς δυσγενείας ſeu ἑτερογενείας labe conſperſus: vel purus ac mundus onerum militarium, puta ab eis exemptus atque immunis.

HIBERNICA *lingua peculiaris eſt.*] Nec

enim uila cum Anglica & Scotica, vel cum Hiſpanica, cognatione jungitur: etſi Hibernia pluribus annis Regibus Angliæ ſubdita eſt, & à Scotia haud multùm diſtat: uti nec ab Hiſpania; quæ euris faventibus tridui navali curſu, ab occaſu poteſt attingi. Barbaram igitur & inconditam linguam nō inſcitè dixeris: ut vel ex his infra ſcriptis verſibus Pſalmi CIII. luculenter appareat.

Verſus I.

Anaim chlaoin, chomh falſa,
mólſa tighearna ar ſaortha:
a uile bhriogh chorpardha,
molvigh fos a ainm naomhtha.

Verſus II.

Mól a anuim jongla in ſon
an tighearna ſuaire ſolus:
mol a uile thiodhluice,
nar dearmuid gan a moladh, &c.

Iidem Anglicè redditi.

1. My ſoule giue laud unto the Lord,
my ſpirit ſhall do the ſame:
And all the ſecretes of my hart
praiſe ye his holy name.
2. Giue thanckes to God for all his gifts,

shew

shew not thy falſe vi kind,
And ſuffer not his benefits
To ſl p out of thy minde, &c.

HVNGARICA *linguâ audio impreſſum eſſe novum Teſtamentum, ſed ferè inutiliter.*] Imò & vetus & novum Teſtamentum hac linguâ elegantibus typis deſcripta extant Hermannæ, anno M. DC. VII. interprete pio & erudito viro, Alberto Molnar. Id verò non inutiliter: ſed excellenti bono orthodoxarum eccleſiarum in regno Hungariæ, &c.

IACOBITAE *in linguâ Græcâ ſimilibus characteribus utuntur.*] Vt videre eſt apud Theſeum Ambroſium in Introductione linguarum, ex alphabeto eorũ, quod habetur pag. 191. quem adi. Alioquin gens ſunt Syrorum, qui perpetuò per o efferunt vocalem, quem Syri *Odom* vocant, quæ reſpondet Hebræorum kamétz.

ICHTYOPHAGI *Arabicè ferè & Perſicè loquuntur.*] Sunt enim maximam partẽ Saraceni, tum albo, tum nigro colore tincti: & *Ichtyophagi* dicti, quòd ſupra petras, Solis fervore ferventes, aſſant piſces, & hoc alimento ſolo victitant; quorũ regio quæ ampliſſima, & perpaucos habet portus maritimos, hodie appellatur regnũ Vlcinde, inter Perſidem & Indiam ſitum. Ad ortũ enim regno Cambajâ, ad occaſũ Perſide terminatur,

IONICE *scripserunt Hippocrates & Herodotus,*] Herodotus non semper, nec in omnibus, ac iisdem nominibus, verbis & locutionibus eodem joniſmo conſtanter eſt uſus: ſed dialectum uſurpat liberiùs modò jonicam, eamque variatam, modò Atticam, modò communem, Doricam etiam: ita tamen ut in ejus ſcriptis jonica inter alias palàm emineat ac dominetur. Vnde, ſicut denominatio ex potiori fit, factum, ut jonicè locutus cenſeatur Etſi deinde Hippocrates quó que jonicè ſcripſit: tamen ab Herodoto τῶν Ἰωνισμῶν frequentiâ, varietate, ſuavitate, καὶ τῇ τῶν λέξεων καὶ φράσεων ποικιλωτέρων καινοπρεπείᾳ, καὶ εὐχαριτολείᾳ longè ſuperatur. Cæterùm jones, à quibus jonica dialectus dicta, nomen ſunt ſortiti à javane, filio japethi, patre Chetim; quorum plurima in ſacris libris mentio. Arabes certè non tam jones, quàm Græcos omnes appellant *El javanim*, imitati Hebræos; quibus Græcia eſt *javán*, & Græci *jevanim*, &c.

ISLANDI *linguâ utuntur Cimbricâ, ſive Danicâ.*] Sed corruptâ ac depravatâ: ut ex infra ſcripto capitis primi Geneſeos initio patet: *Iupphacht skapade Gud hymen og jord. Og jorden var oyde tom, og myrkur var yfer under diupinu. Og Gudz ande foordiſt yfer vornen. Og Gudſadge, Verde lios, og par vard lios. Og*

Gud

Gud ſand Lioſet var gott. Pa skilde Gud lioſid fra myrkrunun. Og Kallade Lioſid Dag, enn myrkrid not. Pa vard af kuell de og morno fa fyrſte dagur. Og Gud ſagde, Par verde ein feſting a mitte varnauam, og ſurd skal skilia votnen huor fra odrum. Pa gjorde Gud eina feſting, og ſkilde votnen ſin vorn einder feſtingunne fra þem votnun ſin vorn yfer feſtingunne. Og þad skiede ſo. Og Gud kallade feſtingena himen. Pa vard ut af knelide og morne ſa annar dage, &c.

Alia hujus linguæ documenta petere licet ex S. Bibliis, quæ in hac etiâ linguâ typis deſcripta proſtant. Iſlandorum inſula quia cœlo rigenti damnata eſt, *Islandia* quaſi *Glacialis terra* dicitur; & maximam partẽ montoſa eſt, prẽter betulam & juniperum nullam ferens arborem: cujus incolæ panem ſibi parant ex piſcibus, ventoatque aẽre exſiccatis & contuſis, in ſpeluncis, ac montium cavernis degentes pluri-mùm.

KOPTITAE *linguâ utuntur Aegyptiacâ.*] Koptitæ dicuntur Ægyptii Chriſtiani, ab urbe celeberrima Kopto, in Ægypto ſitâ; quam *Terram Koptii* ideò vocat Ignatius Patriarcha Antiochenus. Vtuntur autem veteri linguâ Ægyptiacâ; quam ad ſacra & ritus Eccleſiæ ſuæ adhibent. Menſium apud eos nomina hæc ſunt: *Thuth, Pape, Hathur, Chiach, Tube, Amſchir, Parmahath, Parmude,*

Paſchnes, Payne, Epip, Meſari, Niſi. Hi menſes iidem ſunt, qui erant veterum Alexandrinorum: aliquantum tamen a veteri appellatione deſciſcentes; & quòd τὰς ἐπαγομένας, quæ Æthiopibus etiamnum *Pagomen* corruptè hinc dicuntur, Kaptitæ appellant *Ni*, a *Niſan*, menſe Hebræorum.

LACEDAEMONII *(præſi tempore inter Dores excelluerunt.)* Doricam igitur linguâ peculiarem atque in delitiis habuit laudabilis hæc gens; quæ, primùm ſparſa per Peloponneſum, apud Dores habitaverat: poſtea verò congregata in terrâ Laconum urbem condidit, quam à priore diſperſione *Spartam* nominavit ab ἔσπαρται verbi σπείρομαι. Cujus incolis, ſalutaribus Lycurgi legibus inſtitutis quia prolixâ loquentiâ nihil odioſius erat, ideo proverbii loco Λακωνισμὸς uſurpari cœpit pro *breviloquio*: non tamen jejuno atque nudo, ſed nervoſo & bene compoſito.

IN LATINA *linguâ ſacroſancta quoq; Biblia deſcripta commentur.*] Etenim circa annum Chriſti CCCC. S. Hieronymus, quum ante XX annos Hieroſolymis à Iudæis linguam Hebræam diſcere cœpiſſet, Biblia Hebræa, in linguam Latinam primus tranſtulit: quæ tranſlatio longè lateque ab Eccleſiis acceptata

ptata fuit. Post ejus tempora studium linguarum diu videtur cessâsse. Vnde Translatio hæc graviores depravationes passa est, quàm antea Græca. Circa annum deinde M.CCC Nicol. Lyranus, Hebraicè peritissimus, Biblia Latina commentariis quidem illustravit: sed de textu Latino, cum fonte Hebræo committendo, parum aut nihil tentavit. Tandem prodiit circa annũ M. D. XV. in Hispania nobile opus Biblicum Complutense, studio Franc. Simenii, Archiepiscopi Toletani: & in Italia Psalterium octoplum, Hebraicè, Græcè, Arabicè, Chaldaicè cum triplici versione Latinâ, & commentario ex Hebræis potissimùm scriptoribus elaborato per *Aug. justinianum*, Genuensem, Episcopum Nebiensem. Circa annũ M.D.XXXIII: in Gallia Santes Pagninus, post Hieronymum primus Biblia Hebræa integra Latinè est interpretatus: quod fecerunt in Germania Seb. Munsterus & Seb. Castalio, anno M.D. XXXIII. & paullò pôst: quos insecuti sunt B. Arias Montanus, cujus studio Biblia regia Hispanica in lucem sunt prolata: & incomparabiles viri, Tremellius & junius. Cæterùm a tempore Hieronymi, ut suprà tetigi, studium linguæ Latinæ aut diu prorsus cessâsse, aut summè corruptum fuisse, vel ex juramento Ludoici Pii, quod fratri suo Karolo

In annalib. Francor. ab anno 708 ad an. 990.

præstitit, palàm fit. Verba, quæ recenset C. V. Petrus Pithoeus I C. ita habent: *Pro Don amur, & pro Christian poblo, & in nostro commun salvament dist di en avant in quant des savir & podir me dunant, si salvarei eo cist meon fradre Karlo, & in adjudha, & in cadhuna cosa si cum om per dreit son fradra salvar dist ino quid il mi altre si fazet & abludher nul plaid nunquam prindrai qui meon vol cist meon fradre Karlo in damno sit.* Hîc Latina lingua corrupta est ex Gallica, Italica, Hispanica, Germanica: ut harū perito primâ statim fronte apparet. Aliter & congruis Latinis verbis sic reddideris: *Pro Domini amore & pro populo Christiano, & nostra communi salute, ab hoc die & ultrà, quantum scire & posse mihi datur, servabo ego istum meum fratrem Karolum, tum adjumento, tum alia quacunque re, sicut jure fratrem quemque suum servare decet, &c. Nullã etiam unquam litem capiam, quæ mihi vel meo isti fratri Karolo damno sit.*

LIBYES.] linguâ utuntur inculta & barbara: qualis est & regio eorum, deserta nempe, & arenosa, carens rivis ac fontibus. Vnde Libya Græcis dicta ἀπὸ τῦ λείπεσθαι, ϰ) ὕειν, *pluviis destituta*, propter nimiam sui siccitatem. Incolæ hujus quia absq; legibus vivunt, & sine rationis usu, & ἄμικτοί sunt, ϰ) ἀνόσιοι, dediti maximè venationibus & latrociniis

ciniis; ideó locum dederunt proverbio, Αει φέρει τι λιβύη κακὸν, *ſemper adfert Lybia mali quiddã.* Quod non tam de monſtris, Romam inde deportatis, quàm de monſtris ingeniorum, & feritate morum dictum fuit: quorum utrorumque regio Libyca fuit feraciſsima. Peculiariter in fœdifragos ac pactorum novatores quadrat.

LIGVRES.] Quondam Hetruſcê locuti ſunt: nunc Italica utuntur lingua. Horum caput eſt,

Genua habens portum, mercesque domosque ſuperbas.

LITVANIA *olim ſuum Ducem M. habuit.*] Quo tempore Lithuanorũ alii Ignem, quem continuò accenſum conſervabant: alii Solem, ſylvas & ſerpentes adorabant. Verùm quum Jagellus Magnus, Dux Lithuaniæ, Poloniæ rex creatus, anno Chriſti MCCC.LXXXVI. baptizatus fuiſſet, nomen Vladislaii adeptus, mox tota Lithuania, relicta Ethnicorum religione, ad Chriſtianam migravit, ipſaque Polonorum regno inſerta eſt; quorum & lingua, Sclavonicâ nimirum, vel Illyricâ, nunc utitur.

LIVONVM, *vel Livorum, & Lithuanorum, & Curorum lingua eadem eſt, quæ vetus Pruſsica.*] Sunt Livonibus linguæ aliæ in uſu præter veterem Pruſsicam: prout diverſi

incolæ sunt Livoniæ, velut Curones, Esthe-
ni, Letti seu Leci & alii; qui omnes non tam moribus inter se differunt, quàm linguis. quanquam in arcibus & oppidis lingua Saxonica, seu Germanica prævalet, quum Saxonicæ seu Germanicæ illic sint coloniæ. Vrbs Livonum primaria, & summâ elegantia exstructa, est *Riga*, colonia Bremensium, & emporium celeberrimum.

LYDI.] Incolæ Asiæ minoris; qui proinde de lingua Græca olim usi sunt, & his proverbiis Græcis originem dederunt, λύδος ἐν μεσημβρίᾳ, *Lydus in meridie*, De homine intempestivę libidinis: ut Lydi etiã interdiu, ipso meridie, ἐλυδίαζον: λύδιον εἰς πεδίον προκαλεῖς, *Lydum in planitiem provocas*, De plus ęquo ad quidpiam proclivi: & ut Lydi ad bellum capessendum erant procliuissimi.

MACEDONES *veteres lingua Græca usos ex vetustis mensium apud ipsos nomenclaturis colligipotest.*] Quos menses his etiam characterismis propriis appellant: Πάνεμος, λῶος, Γορπιαῖος, Υπερβερεταῖος, Δῖος, Απελλαῖος, Αυδναῖος, Περίτιος, Δῦστρος, Ξανθικὸς, Αρτεμίσιος, Δαίσιος πρότερος, Δαίσιος δεύτερος. Qui Græci sunt:

licet

licet non Græcis omnibus communes. Vt enim instituta & leges, ita etiam menses diversos ab aliis habuerunt, &c. Porrò Macedones incolæ fuerunt Macedoniæ, quæ Plinio olim *Emathia* dicta: Livio verò *Pæonia*, unde *Aemonia*, item *Edonia* & *Pieria*. Solino Macedones eruditis videtur descendere à Cethim, filio javanis, nepote japhethi. unde Græcis primùm vocantur μακέται, & regio eorum μακεδία: hinc verò Macedonia. Vt certè ad hanc originem Esaias Propheta alluſit, & librorum Macchabæorum auctor, *Alexandrum terra Chetim egressum esse*, scribens. Sanè a javane propagatas esse Græcorum gentes omnes extra dubium est: sicut & jones peculiariter inde nomen servârunt. Cap. 23.

MEDI & *Mesopotamiæ incolæ Apostolos lingua sua loquentes mirãtur.* Lingua scilicet Aramæa, sive Syriaca: ut Mesopotamia non tam Μεσοποταμία Ptolomæo, Διαφαρὴ Stephano, & recentioribus nonnullis *Interamna*, *Azamia*, *Helapia*, Mercatori *Diarbech*, quòd fuerit μεταξύ ποταμῶν μέρη, *media inter flumina*, Tigrim nempe & Euphratem, quàm *Aram* vocatur: unde *Aramæa* lingua nominatim dicta. *Medos* sive *Mados*, aut *Madæos*, ut Josephus appellat, nominis origi-

nem trahere a Madai, filio japheti, cum vero non pugnat. Qua verò hoc tempore lingua utantur, an Arabica, an Armenica, vel Persica, quia Media inacceſſa eſt, ideoque penè incognita, certi quidpiam ſtatuere nolim.

MEISI *vel Myſii Illyricè loquuntur.*] Puta *Boſnenſes* ſive *Servienſes*: prout Meiſia vel Myſia, *Boſnia* vel *Servia* vulgò vocatur. Si enim intelligas Myſiæ incolas; quæ urbs & regio Aſiæ fuit, *Aeolia* vel *Aeolis* dicta Plinio, ἀβρεττίνη Stephano, & *Més* Hebræis, ut ſcribit in apparatu ſuo Arias: tum Græcè, non Illyricè, locutos eſſe, creditur; qui homines alioquin fuerunt abjectæ conditionis, & tam contemtæ, ut, ſi quis deſpicatui duceretur, is Myſorum ultimus cognominaretur

MORAVI *Illyricè loquuntur.*] Sive Bohemicè. Regibus enim Bohemię potior Moravorum pars, ac penè tota paret: reliqua ſubeſt Primoribus aliis, Teutonica tamen etiam nonnullis locis utuntur, ſed majorem in modum commixtâ ac confuſâ.

MONAE *inſulæ ſub ditione Anglorum linguam ab aliis prorſus differre audio.*] Ab Anglica nempe, Scotica & Hibernica. quanquam crediderim ad Hibernicam ob loci vicinitatem propiùs accedere: a qua haud longè ſanè diſtat. Inſula eſt longa milliaria

Angli-

Anglicana XXIV, Druidarum quondam domicilio clara, regni tenens nomen, cujus rex coronam plumbeam gestare fertur.

MOSCOVIA *Russiæ caput est.*] Russiæ videlicet albæ. Duplex enim est Russia, *Nigra* nempe & *Alba*: cujus incolæ oriundos esse a Moschis, inter omnes ferè hodie constat: qui Moschi sunt iidem, qui Mosionoeci, a turribus ligneis appellati, teste Apollonio: vel potiùs a Moscho, Noachi nepote; quem Moschum Strabo ex Posidonio hariolatur Sidonium fuisse Philosophum, ante Trojana tempora florentem, primum de atomis dogmatis auctorem.

MOZAMBIQVENSES *lingua utuntur Arabica.*] Eadem nimirum, qua Quiloënses: sub cujus regis imperio diu erant. His autem vernaculam linguam esse Arabicam, asserunt, qui de eis scripserunt Barbosa, Osorius & alii.

NVBIANI *barbara utuntur lingua.*] Vt ex hoc indice clarè apparet:

Achan,	Oculus.
Bacro,	Aries.
Bal,	Capillus.
Bar,	Lapis.
Beinck,	Diabolus.
Brischindo,	Pluvia.
Buchos,	Liber.

Bul,	Culus.
Cheleue,	Tripudiare.
Cheron,	Caput.
Chiral,	Caſeus.
Chor,	Barba.
Chouri,	Culter.
Chriſtari,	Scrinium.
Dade,	Pater.
Dajo,	Mater.
Devel,	Cœlum, Deus.
Erani,	Nobilis matrona.
For,	Penna, Calamus.
Foros,	Vrbs.
Gad,	Camiſia.
Gagi,	Mulier.
Gave,	Burgus.
Gourou,	Bos.
Guigiebe,	Cantare.
Hanro,	Enſis.
Harmi,	Thorax.
Have,	Comedere.
Heroy,	Tibia cum coxendice.
juket,	Canis.
Kan,	Auris.
Kangheri,	Eccleſia.
Krali,	Rex.
Kaſcht,	Tu bibis.
Lein,	Fluvius.

Love

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [254] - 121v
PUBLIC DOMAIN

Love,	Argentum.
Maaſs,	Caro.
Manoſch,	Vir.
Moi,	Os oris.
Mol,	Vinum.
Mömeli,	Candela.
Mucia,	Brachium.
Nak,	Naſus.
Nay,	Vnguis.
Panin,	Aqua.
Papieris,	Papyrus.
P—hou,	Terra.
Philatri,	Caſtrum.
Piaſſa,	Nos bibimus.
Piava,	Ego bibo.
Piela,	Ille bibit.
Plachta,	Linteus.
Rai,	Nobilis.
Ser buchos,	Quomodo nominaris?
Sonakai,	Aurum.
Taxtai,	Patera argentea.
Thuochan,	Veſtis.
Tirachan,	Pallium.
Troupos,	Corpus.
Valin,	Calix vitreus.
Vaſt,	Manus.
Vodros,	Lectus.
Vouda,	Porta.

Hic Idiotismus etsi proprius videtur Nubianorum: tamen vel hic brevissimus Index docet, quasdam voces aliunde desumtas esse. Nam Græcis φόρος, φιλαχὴ, πιεῖν, &c. affinia sunt *Foros, Philatri, Piela*, &c. Bohemica deinde sunt *Krali, Maaß*, &c. Germanismum odorantur *Plachta, Thuochan*, &c. Quædam etiam Hispanicè sonant, aut cognationem cum Hispanis habent. Cæterùm Nubiani prisci, inferioris Ægypti partibus contermini, sub Patriarcha Alexandrino, sacra sua linguâ Elkupti celebrârunt; quorum in finibus multi Episcopatus fuerunt. Tandē a Sultano, annos ante CLX. plus minùs, suis sedibus pulsi, Palæstinam, Syriam, Asiam minorem, mendicorum specie pervagati, trajecto Hellesponto, Thraciam & Circum-Danubianas regiones incredibili multitudine inundârūt. Itali *Cingaros* vocant, Galli *Bohemos*; quòd indidem ex Boëmia prima illorum eis notitia: item *Aegyptios*; quod *Nubian* etiā ipsi Nubiani minorem Ægyptum vocent. *Nubæ* a Stephano & νουάδες vocantur. unde Claudianus

Lib 2. ad Stiliconem

Venerat & paruis redimitus Nuba sagittis.

Metropolis eorum *Condari* non solùm hodie ab ipsis vocatur, sed & in mappa Mundi Turcica notata est. Templorum eximiorum hodieq; multa exstant vestigia; & qui supersunt de illa

de illa calamitate in suis sedibus Christianos etiam num sese profitentur, sed sine ullis Episcopis, Templis & Sacrorum solemnibus. Sæpe ab Imperatore Abyssinorum, qui ipsis *Negus* vocatur, Episcopos petentes non impetrarunt, quippe penuriâ Episcoporum in Abyssinis, vel metu arenosas solitudines, & Muhamedanorum injuriæ obnoxias, adeundi. Omnino Nomades & latrones sunt: qualis est & eorum progenies, Cingari isti; qui non solùm mores Majorum suorum, & furtorum licentiam, sed etiam linguam retinuerunt: cujus nos quędã antè huc conjecimus, non solùm, ut eam Lectori proponeremus, sed etiam eos argueremus, qui opinantur, hanc linguam ab ipsis confictam esse, neque uspiam terrarũ, nisi inter ipsos errones Cingaros in usu esse. In quo sanè non sunt audiendi.

OSCVM *aliquando significat sacrum, nimirum* ὅσιον,] Παρέργως notet Lector, Græcos suum ὅσιον, unde *Oscum* Latini dixere, perspicuè mutuatos esse a Syriaco *chosi* vel *chosia*: quod *pium, sanctum & misericordem* sonat, ab Hebræo *chasid*, ἀποκοπῇ τοῦ τ. unde *chasiutha*, ὁσιότης, *pietas, sanctitas*, &c. Et hinc Essęi, secta philosophorum, quasi insignem sanctitatem præ se ferentium, est dicta. quod erro-

ris conuincit illos, qui Essæos a verbo *hassa* Hebræorum, quod est πεφάτται, deducunt: quum Essæorum lingua vel Hierosolymitana, vel pura Syriaca fuerit. Neutra autem agnoscit *hassa*. Terminatio Syriaca est Εσσαῖος: Græca Εσσηνός: ut Ναζαραῖος, Ναζαρηνός. &c.

PAMPHYLII *sua lingua Apostolos loquentes audiunt.*] Græcâ videlicet. Sunt enim incolæ regionis Asiæ minoris, Pamphyliæ; quæ nomen ab arborum copia obtinuit, quasi tota *frondosa*. Hoc enim est παμφυλία: perinde ut jericho dicta fuit *Tamar*, quòd tota palmetis consita fuerit: & Phœnicia ἀπὸ τῶν φοινίκων, a palmis itidem; quæ φοίνικες Græcè dictæ.

PANNONIAE *pars Illyricè loquuntur.*] Pars verò Scythicè. Quæ lingua a circumjacentibus populis planè diversa est. Panoniam enim Pannones a Gothis expulsi, post Gothos autem Hunni, ex Scythia oriundi, possederunt. Inde Longobardi, illisq; repulsis Hunni denuò eam occupârunt, atq. in hodiernum usque diem possidentes, Hungariam de suo nomine dixerunt.

PARTHI *Apostolos suo sermone loquentes admirabantur.*] His sermo inter Scythicum & Medum medius est, seu ex utroq; mixtus.

Gens

Gens fuerunt adeò vilis, imperantibus Assyriis & Medis, ut regno eorũ a Medis ad Persas translato, velut vulgus ἀνόνυμον, victorib. prædæ facti, tandem Macedonib. servierint: donec progressu temporis tantas adquisiverunt vires, ut non modò finitimis imperarẽt, sed & Roman. magnis cladib. ab eis bello petiti affecerint. Administratio gentis, post defectionẽ Macedonici Imperii, mansit sub Regibus, qui *Arsaces* ab Arsace primo Rege dicebantur omnes.

PELASGORVM *linguæ meminit Herodotus.*] Quam Doricam fuisse auguratur. Ab Arcadib. autem ortos credidit Antiquitas: & Pelasgos dictos quasi πελάργους, quòd, antequam sedem sibi deligerent, ciconiarum more, hinc inde vagarentur. Eustath. Πλανῆται ἦσαν καὶ ἀοικέσιοι πανταχῆ τῆς γῆς. Πολύπλανον γὰρ ἔθνος καὶ ἕτοιμον εἰς ἀπανάστασιν. Mihi videntur dicti ab Hebræo *phalag dividere, sejungere* &c. (unde *rivus* dicitur) quasi rivulorum instar, in certas colonius distributi ac divisi.

PERSARVM *lingua.*] Quæ in tota ferè Asia hodie locum habet: cujus in sacris libris non pauca exstant vestigia impressa, præsertim in Esteræ volumine: ut *Achaschweros, Parthemim, Ester, Hammedatha, Phur*, vel *Phurim, Gaza, Gimze, Susa, Zeres, Achasdar-*

panim, Mardochai, & alia: inter quæ *Achaſch Weros* compoſitum eſt ex vocabulis ſimplicibus Perſicis *Achos,* vel *Ochos, vau* & *roſch* vel *ruſch,* quaſi Achas va-ruſch. *Eſter* nunc præponitur, ut *Aſtrampſychus,* nunc poſtponitur, ut *Zoroaſter*: aliquando tamen etiam ſimplex uſurpatur, ut in Regina *Eſter*, quæ antea Hebraicè *Hadaſſa* dicta. *Hammedatha* nomen proprium patris Hamanis compoſitum eſt ex ſimplicibus *Ham*, & *datha*; quorum illud reperias in Ἀμῆσρις: hoc in *Pharſandatha, Aridatha,* & ſimilibus. *Phur* ſortem ſignificat & *Phurim* ſortes; quæ Perſica eſſe docet declaratio illa, *Phur, id eſt, ſors.* Idem teſtatur Lyranus, perſpicuè ſcribens, *Phur* vocabulum Perſicum eſſe, non Hebraicum. *Gaza* fiſcum, ſive ærarium Regis denotat. unde Curtius: Ante ſolis ortum *Gazam quam Perſæ fiſcum vocant, cum pretioſiſſimis rerum efferri jubet*: & Mela, *Gazam Perſæ ærarium vocant*: Et Hieronymus. *Gaza linguâ Perſarum divitiæ nuncupantur, nec eſt Hebræus ſermo, ſed barbarus.* Sic *Achasdarpanim* compoſitum eſt ex *achas* vel *ochos*, & *darpanim* formâ Hebraicâ: cujus ſingulare eſt *Archasdarpan*, contractè *Asdarpan*; a quo fecerunt Græci σατραπαν, metatheſi τῶ τ. & mutatione ult. ſyllabæ σατράπης: *Mardochai* compoſitum eſt ex *Marda* ſive *Mardo*, & *chai* ſive *chæus*; quorum prius apparet

Eſt 9,26. *Lib.*3.

In Eſa. cap. 39.

in Ma-

in *Mardontes*, alterum in Αρταχαῖος, *Artachæus*, &c. Sic Persica sunt *Pharsandatha*, *Alphata*, *Phoratha*, *Aridatha*, *Pharmasta*, *Arisai*, *Aridai*, *Vaizatha*, *Achastheranim*, & alia; quæ in eodem volumine occurrunt: & Persica esse apparet ex simplicibus *Ari*, *vai* vel *Wai*, *atha* vel *datha*, *achas* vel *ochos*. Inter quę *Achastheranim* CL. Drusius camelos interpretatur cursu præstantes, ab *achas* vel *ochos*, quòd Persicè *magnum* significat, & *sethar* camelus: Bellunensis tamẽ simpliciter ab *Astir* deducit; quod camelum notare scribit. Vnde *Astergar* spina cameli. *Aster* porrò vel *Astir* contractum est ex *Ahaster*: cujus plurale est *Asteram*, cameli dromades, ut *Prestegam* Apostoli, & formâ nominis Hebraica *Asteranim*. Similiter vox *Parthemim* vel *Phartemin* judicatur Persica esse, sed corrupta ex Græca παρσάτιμοι, & inflexa Hebraicè: prout libelli ejus auctor Hebræus fuit, quisquis fuit, sive Esdras, ut Isidorus credit, sive Synagoga magna, ut Moses Kimchi, sive joachin Pontifex Hebræorum, magni sacerdotis filius, ut arbitratur Philo, sive Mardochæus ipse, ut hariolatur Aben-Ezra. Cæterùm vox illa propriè sonat ὁμοτίμους, qui Curtio peculiariter vocantur *cognati Regis*, Xenophonti *rege*, hoc est imperii συγγενεῖς τῦ βασιλέως, Hebræis *secundi Regis* vel *a Re-*

Est. 8, 10.

Est. 1, 3. Dan. 1, 3.

2. Par. 28, 11.

Est. 10, 3.

ge secundum gradũ obtinentes. ἔχοντες, ut loquitur Iosephus, μετὰ βασιλέα πρωτοστάτας, quos aliter Græci vocant δευτεροβάθρους, respectu πρωτοβάθρου: qui secundi erant ad regium principatum, ut loquitur Cicero. Sed & quæ in aliis sacræ scripturæ locis occurrunt nomina duo celebratiora, *Cyrus* & *Darius*, sunt Persica. Et *Cyrus* quidem vulgò scribitur, sed forma Persica est *Córes*, quæ Persicæ voci *Córis* affinis est valde, & ξοφλῶ sive ἐδωδλῶ, cibum uel alimoniam sonat: ut quasi *nutritius* dicatur Cyrus populi sui. Quo nomine Reges & Principes ab Esaia perspicuè insigniuntur: nisi malis dictũ ab aliâ affini voce Persica *Corsed*, *Solem* Persis perinde notante, atque *Aphtab*. ut certè Ctesias, homo Græcus, ἀπὸ ἡλίου appellatum scribit, & κῦρον τὸν Πέρσας καλεῖν τὸν ἥλιον testatur Plutarchus. Soles porrò dici Reges ac Principes, nihil absurdi est. Quod enim inter sidera est Sol: id illi in terris sunt. *Darius* deinde ad formam Persicam est *Darjaus*: quod Ctesiæ Græco est Δαριαῖος, & Herodoto exponitur ἐρξείης à premendo & coercendo. *Darwes* enim est ἔρξις, θλῖψις, &c Herodotus Δωσάται ἢ κατὰ ἑλλάδα γλῶσσαν Δαρείου ἐρξείης, pressor, coercitor,

ercitor, &c. Alia, quæ ad linguæ hujus notitiam pertinent, brevitatis causſâ omitto, ea in aliud tempus atq; locum remiſſurus. *Lib. 6.*

PHRYGES *Hieroſolymis Apoſtolos ſuâ linguâ loquentes mirantur.* Quæ fuerit illa, certò non conſtat. Veriſimile autem eſt, Græcæ dialectum barbarum fuiſſe: ut partim vocabula, à Mithridate allata, docent: partim hinc patet, quòd Geographi inter gentes barbaras Phryges numerant; quos à Phrygio, Macedoniæ oppido dictos credidêrũt ſive Brygio, ut nominari ſolet gentili Macedonum lingua. Sunt enim auctores, ait Plinius, qui tranſiſſe dicunt ex Europa Myſos, Phrygios & Thynos. Vnde mox terris data nomina Myſiæ, Phrygiæ, Bithyniæ. Atq; hinc Veteres eos *Bruges* appellaſſe cenſet Cicero in Oratore. Inque Polyhymnia prodidit Herodotus, βρύγας dictos, priuſquam tranſmigraſſent in Aſiam. Strabo habet βρέγες & βρέγες. Et ſic Thraces olim appellatos ſcribit, poſtquam in Aſiam tranſierunt Phryges. *Brigantes* eoſdem nominari ab Herodoto, tradit Stephanus: quod nomen alludit ad βρύγες. Inde poſtea varii populi propter ſuas migrationes nomẽ illud retinuerunt, & etiamnum apud Hiſtoricos leguntur: ut *Latobriges, Auguſtobriges, Iuliobriges, Flaviobri-*

ges, &c. tanquam si dicas colonias Augusti, ges,&c.tanquam si dicas colonias Augusti,Iulii,&c. *Briga* enim & *Burgus* idem: & Eburo briga Eburonum burgus dicitur. Sic de cæris. Burgi verò pagi sunt, & distinctæ aliorũ ab aliis habitationes. Sunt tamen, qui Phryges dictos volũt ab amne Phrygio, qui Phrygiam discernit à Caria. De his Phrygibus memoriæ proditum est, eis familiare olim fuisse, proprios etiam filios vendere, ut qui nequaquam turpem existimabant servitutem: à quibus ortum proverbium, *Serò sapiunt Phryges*, in eos; quos stultè factorũ serò pœnitet: siquidem Trojani tot acceptis cladibus vix decennio pòst de restituenda Helena consultare cœperunt: quam si statim initio reposcenti Menelao reddidissent, innumerabilibus sese calamitatibus subduxissent.

PVNICA *lingua.*] Eadem, quæ Phœnicũ. Diversimodè.n. nunc Phœnices, nunc Pœni sunt dicti; & quidem vel ἀπὸ τῶν φοινίκων à *palmis*, quibus regio illa fuit consita, vel ἀπὸ τ φοινεύειν, ab interficiendo, quòd initiò cujuscunq; generis homines, qui ad eos accedebant, pro victimis cæderent: à quo ritu φοινίασειν usurpari cœptum pro *cæde commaculare*, aut *cruentare*. Horum linguam à Syriaca, quæ ante & circa Christi tempora fuit

fuit in usu, adeò alienam non fuisse, quin à Iudæis intelligeretur, ex inductione vocabulorum bene longa possit comprobari. Idem Phœniciæ situs clarissimè docet. Erat enim Galilææ ad occasum contermina, donec ad Libanum montem accedit, qui Syriam à Cœle, & Galilææ gentium celsissimis jugis disterminans, demissior jam & minùs arduus Phœniciam, & oram eam, quæ Tyriis adjacet, ingreditur. Trans Libanum, ubi eam Syria circumfundit, propter terrarum confinia, vocantur incolæ Syro Phœnices, sicut Celt-Iberi in Hispania, Gallo-Græci in Asia, Liby-Æthiopes in Africa, &c. Vrbium ejus celebriorum prima fuit Ptolemais, colonia Cl. Cæsaris, quondam *Ace* dicta, jugis montium clausa, & Belo amne celebris, propter arenas; quas tot retrò seculis vitrariis officinis exhibuit: altera *Tyrus*. multarũ urbium matrix, inprimis Leptis, Vticæ, Chartaginis, Gadium, ut docet Plinius: tertia fuit *Sidon*, hodie *Saiton*, &c. Phœnix fuit Heliodorus, cujus decem libri historiæ Æthiopicæ, erepti Bibliothecæ Budensis incendio, à Solymanno illato, sunt Basileæ excusi, Latinè redditi à Stanislao Polono, & iterum editi Antuerpiæ. Tyri episcopus fuit Methodius, cujus apud Epiphanium fit mentio. Hæc fuit & patria Apostatæ Porphyrii. qui præceptor

fuit Iamblichi, Vlpiani I. C. & Maximi Tyrii Philosophi.

QVILOENSES *Arabicâ utuntur linguâ.*] Quippe Muhamedis placitis, quæ Arabicè sunt concepta, addictissimi. Præter Arabicam, multas alias linguas nôrunt, ob multarum nationum, quę ad eos veniunt, commercium. Incolæ enim sunt fertilissimę insulæ urbisq; Quiloæ, ab insula Mosambiq; circiter CCCC. M passuũ distantis: cujus rex, quum obedientiam regi Portugallię denegaret, regno exutus ipsaq; in Portugallorum potestatem est redacta, ædificatâ in ea arce munitissimâ.

RHAETORVM *pars sermone Italico corruptissimo utuntur.*] Quem sermonẽ primus superiore seculo illustravit & publicavit Iacobus Bifrons. Alter seculo nostro clariùs & pleniùs idem præstitit Thuricus Campellus servus Christi in Ecclesia Zuschensi, vir pietatis zelo ferventissimus; qui carmine vernaculo Engadinico CL. Psalmos Davidis, & alias cantiones spirituales, cum catechismo unâ Ecclesiarum Rhæticarum, reddidit perfeliciter. Opusculum in inclyta Augusta Rauracorum impressum & publicatum est, anno M DC. VI. Orationi Dominicæ, à Mithridate expressę adjicere placuit versionẽ Symboli Apostolorũ, unâ cum versione Italicâ purâ,

è regio-

è regione, ad manifestius utriusq; discrimen declarandum:

Rhæticè.	*Italicè.*
1. Eug crai in Deis, pàp tuottas chiaussas pussaunt, creader á- alg tschel e de la terra	1. Io credo in Dio padre Onnipotente, creator del cielo & de la terra.
2. Et in Iesum Chri stum seis sulett naad Filg, noass segner:	2. Et in Gjesu Chri sto suo figliuolo uni- genito, nostro Signo re.
3. Chi ais cuntzep ped da lg Spiert sa- ingk, naschúd da Ma- ria la vearna.	3. Il qual fu concè- puto di Spirito san- to, nacque di Maria vergine.
4. Chi haa indíi- rad suot Pontzio Pi- lato, miss stín la cru- sah, moart, e sapulyd. yd givo ad iffiern.	4. Patì sotto Pon- tio Pilato: fu crocifis- so, morto e sepolto: discese a gl'inferi.
6. In lg teartz dy ais rastíistad su da ls moarts.	5. Risuscitò il ter- zo giorno da morte.
7. Yd stín in ls tsch- és tzèza da la dretta da Deis bap, tuottas chiaussas pussaunt.	6. Esalito in cielo: siede a la destra di Dio, padre onnipo- tente.
7. Inunder ell vain	7. Di la verra a giu-

án gyr a ſantenzgiar queaus chi vyuen é ls moarts.

8. Eug crai in lg ſpiert ſaingk.

9. La ſaingkia generala tuot commũn na baſelgia : cummũnauntza da ls ſaingks

10. Ramiſſchun da ls puchiads.

11. Raſũſtauntza da chiarn.

12. E la vitta eterna, Amen.

dicare i vivi & i morti.

8. Io credo nello Spirito ſanto.

9. La ſanta Chieſa univerſale.
La communion de' Santi.

10. La rimeſſion de' peccati.

11. La reſurrettion de la carne.

12. La vita eterna, Amen.

SAMARITANI.] Veteres quidem; qui in Samaria, ejusq; urbe ὁμονύμῳ habitabant, ſub regum Iſraelis ævum, ante diſceſſionem x. tribuum, linguâ utebantur Hebræis communi : quippe ab his orti : & præterea religio, reſpublica, moneta illis erat communis: neq; tantùm linguæ, ſed & characterum figuræ; quę à potiori, prout Samariæ regnum latiùs erat propagatum, Samaritani fuerunt dicti. Hieronymus: *Certum eſt, Eſdram ſcribam, Legisq; doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem Templi, ſub Zorobabele, alias litteras reperiſſe, quibus nunc utimur quum ad illud uſq; tempus iiſdem Samaritanorum*

Præfat. in lib. Regũ.

rum & Hebræorum characteres fuerint: Hac tum linguâ, tum characterum formâ lemmata nobilis & ἐπιχωρίᾳ Iudæorum numi, Sicli, signata etiamnum hodie extant. Samaritani deinde posteriores; qui coloni sunt ex Cutha & Babylonia, in Samariam deducti, post excidium Samariæ, proindeq, solâ religione Samaritani, nomine autẽ Cuthæi (undese à Magno Asenaphar in Samariam traductos esse, ipsi in epistola ad Regem Persarum profitentur, & in epistola ad Antiochũ Epiphanem apud Iosephum testantur, seà Tyris ac Sidoniis oriundos:) linguâ utebantur earũ nationum, ex quibus fuerunt deducti, veluti Assyriorum, sive Chaldæorũ. Sub horum enim erant imperio. Et hi sunt, quos σαμαρείτας Evangelistæ traducunt, & Iudæi adhuc *Cuthæos* vocant; qui Pentateucho Mosis, Hebraicâ linguâ conscripto, at characterum figuris & apicibus, planè diversis ab hodiernis characteribus, qui illi ipsi sunt, de quibus suprà, exarato, ad hanc usq; diem utuntur. A quibus si Pentateuchum hunc extorquere, & Sedarim sive Annales habere possemus: multa, quæ in sacris libris adhuc obscura sunt, eorũ operâ illustrarẽtur. *Esd. 4.*

SARDI.] Incolæ Insulæ Sardiniæ, in mari Libico sitæ, subditi quondam Saracenis,

collapsis nempe rebus Romanorum: quorum lingua proinde sunt usi. A Saracenis per Pisanos vindicati, vernaculâ Saracenam non nihil in Italicam mutârunt. Tandem, cum Siciliæ regno, sub Hispanorum redacti potestatem, à quibus etiamnũ hodie per Proregem administrantur, Hispanicis quoque vocibus eam conspersérunt: ut vel ex orationis Dominicæ, à Mithridate expressæ, versione constat. Qualescunq; verò hodierni Sardi sint: certum est, veteres saltem homines fuisse abjectissimos, & nequissimos: ut non abs re Tullius dixerit: *Habes Sardos vænales, alium alio nequiorem, &c.*

SARMATAE.] Aliter *Sauromatæ*, à σαῦρος & ὄμμα, hoc est, ab oculis lacertarum. Gens sunt regionum diversitate varia, unde etiam linguis variis utuntur. Sunt enim Asiatici & Europæi. Asiatici, trans Tanaim habitantes & Mæotida paludem, ortum versus; quos *Tartaros* hodie vocant eruditi. Inde verò *Mogores*. Europæi deinde incolæ sunt Poloniæ, Russiæ, Prussię, Livonię, Lithuaniæ, Moscoviæ, Podoliæ, Vandaliæ; qui Illyricam plerio; linguá loquuntur. Veteres tamen Sarmatæ omnes Scythæ fuerunt dicti.

SCLAVI.] Procopio *Sclaveni* dicti, & gens Scythica; quæ, Iustiniani tempore, in Illy-

Illyricum irruentes, magna vicinis damna intulerunt. Tandem inter Illyricos consedentes Illyrici sunt dicti. Subjiciuntur hodie partim Hungaris, partim Venetæ Reipub. metropolimq; habent *Ragúsum*, è ruinis Epidauri, à Gothis diruti, ædificatum.

SCOTORVM *linguam communiorem audio parum differre ab Anglica.*] Anglica cultior & tersior est: Scotica verò incultior, & minus tersa, pauciſſimaq; Gallica vocabula admixta habet, ob frequens Scotorum cum Gallis commercium. Quod intelligatur de incolis Scotiæ Australioris, sive superioris, qui humani, civiles, & optimè morati sunt, *Altæq; terræ viri* dicti. Septemtrionalis, sive Inferioris incolæ asperi, inculti & agrestes sunt, ideo; dicti Scoti sylvestres. Ex cœli nanque rigore truciores sunt & ex sanguinis abundantia audaciores, *Viri terræ Imæ* cognominati. Hybernorũ siquidem mores, unde orti sunt, linguam etiam & arma retinent. Sago enim & interiore tunicâ croco tinctâ vestiuntur, nudisque genibus ac tibiis incedunt.

SLESII vel Silesii *Illyricam linguam habent.*] Vltra-Viadrani scilicet. Apud hos enim Illyricus, & nominatim Polonicus, prævalet. At qui cis fluvium Viadrum habitant, iis Germanicus sermo est in usu.

SVEVI.] Hodierni Germanicè non Illyricè loquuntur: impuriùs tamen & invenustiùs. Veteres deinde, qui & in Pannoniam ac Sarmatiam colonias deduxerunt, Illyricâ, quod Mithridates asserit, usos esse statui potest. De origine vocis Suevorum vehementer se torquet Becanus, Vtrum *Suobeni*, an *Suevi*, vel aliter sint appellandi. Tandem eos ab habendo sive cupiditate habendi hoc modo traducit: *Suoben*, vel *Sueben* ablatâ in componendo aspiratione, & altero b exempto, idem ferè esse, quod est alio nomine *Germanus*, vir habendi, aut acquirendi studi flagrans, Krygmannus aliter, & ἐπιθέσει τ. Krygsmannus. Qui igitur Suevos se nominarent, professos esse, studia sua se illuc conferre, ut HABERENT.

SCYTHARVM *regio quum longè extendatur, diversas in ea linguas esse, verisimile est.*] Veluti Polonicam, Moscoviticam, Tartaricam & alias. Nam Istri, Borysthenis, Bosphori, Mæotidospaludis, Tanais, Caucasi, & Caspii maris ac montis sunt accolæ: Scythæ dicti ἀπὸ τῦ σκύθεσθαι, quod est *irasci*. Sunt enim gens ἀνθάδης καὶ θυμοειδὴς, ut loquitur Plato, iracunda, ferox, truculenta, inque bellum procliviſsima: adeoque Dei flagellum sæpe extiterunt, dum Africam penetrarunt,

runt, Hiſpaniam ſubegerunt, Aſiam infeſtarunt, neque intactam reliquerunt Europam: torrentis inſtar ſuis irruptionibus eam inundantes: dum regna potentiſſima, Romanum, Conſtantinopolitanum, Trapezuntinum, labefactarunt. Quibus præterea ebrietas tribuitur. Vnde ſcytizare eſt *inebriari*. Hinc Plato: Σκύται δὲ καὶ Θράκες ἀκράτῳ παρ De Legib.
τάπασι χρώμενοι, γυναῖκες τε καὶ αὐτοὶ κατὰ τῶν ἱματίων καταχεόμενοι, καλὸν ἐν εὐδαιμονι δοκοῦντι εἶναι νενομίκασι. Notum τὸ σκυθοπιεῖν, ſive σκυθιστὶ πιεῖν pro ἀκρατοπιεῖν. Et γενικῶς, quicquid barbarum, ſævum, crudele eſt (nam & advenas pro victimis mactabant:) *Scythicum* id appellant eruditi: ſicut Scythicam orationem duram, inhumanam, barbaram, &c.

SYRORVM *lingua.*] Conflata eſt ex Chaldaica & Hebraica. Nam habet quædam communia cum utràque, & quædam diverſa. Aliam quóque ſcripturam obtinuit; quæ tamen in pleriſque ad currentes Hebræorum litteras accedit. Hæc lingua in diuturno exitio Babylonico primordia cepit: ubi Iudæi, ſicut fieri ſolet à victis, ad aucupandam victorum gratiá, ſuam cum Chaldaica miſcuerunt: ex qua commixtione illa prodiit. Hanc linguam ſanctiſſimis labris ſuis conſecravit

Christus, ille ἀγαθῶν πράντωρ, quum his in terris inter Mortales vitam degisset: ut quæ ejus & Apostolorum ætate Iudæis uernacula erat. quod docent voces, *Abba, Aceldama, Bar, Bar aba, Bar Iesu, Bar jona, Bar Timi, Bel* vel *Beel, Beelzebub, Beth abara, Bethania, Bethesda, Beliar, Bene rehem, Ephphata, Gabbatha, Genesara, Golgatha, Korbona, Mammona, Ribbi, Talitha Kumi, & aliæ*; quæ merè sunt Syriacæ, & passim in novo Testamento occurrunt. In hac lingua extat Translatio totius novi Testamenti vetustissima & elegantissima; ac proinde divinam apud doctiores venerationem habens: quum vel ab Apostolis ipsis, vel à discipulis eorum conscripta credatur. Apostolos Ethnicorũ tantùm curam habuisse, Græcè scribendo: suis verò popularibus non consuluisse, vix credibile videatur. Quæ Translatio primùm quidem quatuor Evangelistarum, deinde verò & epistolarum Apostolicarum, ingenti beneficio Ferdinandi Imperatoris, indefessoq; studio Ioh. Alberti VVidmanstadii I. C. Germani, petentibus Asiaticis Christianis, juga Libani incolentibus, qui vetere Syrorum linguâ partim vulgò, partim in sacris suis utuntur, Syriacis characteribus & sermone descripta, in aspectum lucemque fuit prolata, Viennæ in Austria, primùm, postea & alibi.

Vide Baumbachiũ de antiq. linguarum orient.

TRANS-

TRANSYLVANI *Illyricè loquuntur*] Latemq; Hungaricè & Saxonicè. Quum enim Transsylvania maximá partem Saxonum sit colonia, Saxonicæ linguæ proprietatē magis observat, quàm reliquorū Germanorū. Non .n. was & das/sed wat & dat Saxonicâdialecto efferunt: ita ut regio hęc inter diversarū linguarum terras ac gentes sita, Germanicè magis, quā Illyricè aut Hungaricè loquatur. unde & civitatibus Germanica ferè sunt nomina. ut Hermenstatt / Cronstatt/ Schleßburg/Clausenburg/Weyssenburg/ &c. Transylvania autē dicta est à densissimis sylvis, & altissimis montibus; quibus ceu mœnibus, est cincta: quorū montium quia septem prę-cipui sunt, ideo à Saxonibus Sibenbürgē/ quasi Seprimontium, aut Septimontana regio appellatur.

TROGLODYTAE *Aethiopes*.] Æthiopes orientales: dicti etiam *Erembi*: Diodoro *Vuolgii*: & Troglodyti quidem; ἀπὸ τῶν ζώων ὑποδεδυκέναι: quòd, ut Plinius Mela & alii testantur, specus sub terris excavare, & eos subire ac incolere solent. Hinc Dion. Alexandrinus illos ἐν πέτραις κατωρυγέσι, in *petris suffossis* seu *excavatis*, ferarum ritu vitam vagam agere dicit. Hujus Troglodyticæ gentis regionisque tristia fata Esaias *Lib. 5 c. 4*

propheta prædicit: *Væ Terræ umbræ alarum, quæ est ultra flumina Cuseh.* Hîc doctissimis interpretibus, Hebræis & aliis placet, Troglodytarum terram propriè intelligi: quę appelletur *umbrosa alis*, ob navium & velorum obumbrantium frequentiam, quæ id navibus præstant, quod alæ avibus. Nam naves, quum earum vela ventis impulsa sunt, per maria quasi volitant. Hinc Chaldæus Paraphrastes: *Et vela eorum extenta sicut aquilarum volitantium.* Sensus ergo: O terra multis mercatoriarum navium velis, quasi avium alis obumbrata! quanquã & *Terra umbræ alarum* dici possit; quia umbrę ejus sint quasi alatæ atque pennigeræ; quippe quia post solstitiũ statim avolent. Nam, quod ἀξιομνημόνευτον est, in Berenice & Ptolemaide, quæ duo olim principes fuerunt Troglodytarum urbes, ante solstitium XLV. diebus, totidemque postea, nullam umbram jaci, atque adeò in tota Troglodytica hisce XLV. diebus umbram contrariam cadere, Plinius Eratosthenis testimonio cõfirmat. Vel certè magis ἁπλῶς dici potest *Terra umbræ alarum*; quia videlicet in universum umbræ ejus sint quasi alatæ, hoc est, raræ, momentaneæ, fugaces, & citissimè avolantes. Vel etiam divisis dictionibus, forsan primò dicitur *Terra umbræ*, admirabilis videlicet umbræ,

Li. 6. c. 24

bræ, ut jam dictum, aut per antiphrasin quasi minimè umbrosa, utpote Solis ardoribus maximè exposita: deinde verò *alarum*; quia ejus incolę incredibili velocitate cursus, non hominibus modò cæteris præstant, verùm etiam ipsos equos æquant. Quid si dixeris, *Terram umbræ alarum* etiam cognominari; quia sub tentoriis umbrosis alarum instar expansis hæc quoque gens degit. Cæterùm, quæ in Hebræa est, vox *tziltzal*, a Symmacho non *umbra*, sed *sonitus* redditur, alludente forsan ad sonitum quasi serpentinum, quo illos in loquendo uti, Plinius & Mela testantur. Mela: *Strident magis, quàm loquuntur.* Herodotus: *Throglodytæ Aethiopes omnium hominum velociſsimi, serpentibus lacertisq; vescuntur, nullâ alterâ simili, linguâ utuntur, vespertilionum more strident.* Sic hodie quoque Æthiopas quosdam in loquendo singultire Osorius testatur. Hieronymus tamẽ tziltzal *gurgustium* vertit, respiciens ad Troglodytarum gurgustia subterranea: alii *hamum piscatorium*; quo aut piscationem eorum, aut ἰχθυοφαγίαν significare voluerunt.

TVRCICA & Arabica *linguæ diversæ sunt.*] Vt docet hæc versio orationis Dominicæ, quæ longissimè abest ab ea, quæ posita fuit in mentione linguæ Arabicæ:

Baba moz, ganghe gugteſſon. Kduſſo iſſun

ſſemungh adun. Ghelſſon ſſemungh memleketungh. Iſſan ſſemungh iſtedigungh, mycſcs gugo the. vie gyrde. Hergunen ekmegumozi vere bize bugun: hem baſſa bize bortzligomoz y, nitze bizde baslaruz bize borcſetti gleremozy. Hem yedma bize gehenneme: de kurtule bizy ſeitandan, Amin.

Eadem ad verbum Latinè reddita:

Pater noſter, qui in cœlis es. Sanctum fiat nomen tuum. Adveniat tuum regnum. Fiat tua voluntas, ſicut in cœlo, & in terra. Quotidianum panem noſtrum da nobis hodie: & condona nobis debita noſtra, ſicut & nos condonamus nobis debentibus. Et ne deducas nos in tentationem; ſed libera nos a Diabolo. Amen.

emleketungh

Hîc voces ſunt nullæ affines Arabibus: niſi fortè reducere liebat *baba* pater ad *aba* vel *abba*: *.kduſſo* ſanctum ad *kaduſſu*, & *gehenneme* ad *gehennæ* vocem, tum Hebræam, tum Arabicam; quæ integrè ſcribitur *Ge-Hinnom*, Vallis-Hinnom, Ios. 18,8. qui locus erat vicinus, Hieroſolymis contemtiſsimus, excipiendis cadaveribus ac ſordibus deſtinatus. Ad quæ comburenda ignem continuum ibi fovebant. Inde poſtea ab horrendis cruciatibus, quos ſontes illic ſuſtinebant, & ab igne continuo, appellatum fuit judicium impiorum

Kimchi in Pſal, 27. y. 13.

piorum, sive locus; in quo impii pœnas æternas sustinebunt, *Gehinnam*. Cæterùm Turcorum sive Turcarum nomen, hominem significat agrestem, durum, vagum, qui instar Nomadum vitam agit. Vnde Scytharũ, quos Tartaros nominant, progeniem esse, ferè omnes scriptores testantur. Melas certè Turcas refert inter Scythas: & Chalcondylas idem argumentis ac conjecturis nonnullis, probat. Notat Leonclavius, Osmanos milites & aulicos molestè ferre, si quis eos *Turcos*, ceu rusticos, appellet; qui semetipsos potiùs *Islamos* nominant, hoc est, unanimes & inter se pacificos. Vnde precari non cessant Deũ, ut inter se perpetuò discordes esse velit *Gauros*, hoc est, Christianos, quos velut gentiles aut paganos ab Hebræo *Goj*, vel *Gojm* sic vocant. l. 1 fin.

VASCONES.] Hi veteri Cantabrica utuntur lingua; quæ hodie *Vizcayna* sive *Vasconica* vocatur (*Vizcayam* enim olim Vasconicam dictam fuisse autumant:) nunc verò vulgò *Bazque* sive *Bazcuense*; cujus usus hodie est non in Vizcaya tantùm, verùm etiam in circumjacentibus ei provinciis, Alaba, Guipuzcoa, Navarræ etiam regno & Bearnensi ditione. Quam linguam plerique veterem Hispanicam fuisse arbitrantur, quæ quum in aliis illius regni provinciis, ob fre-

quentes diversarum gentium irruptiones, & multorum in eis seculorum dominationem, ita fuerit corrupta, ut nihil ferè nativi retinuerit, ejectis nimirum indigenis, & coloniis eò deductis, Vizcayni eisque finitimæ gentes linguam suam integram conservarunt. quod quidem inde factum esse potest, quòd gentes bellicosissimæ, & regiones natura & situque locorum munitissimæ, vel ab exteris nationibus nunquam ita fuerint subactæ, ut indigenæ sedes mutare fuerint coacti; vel quòd externæ nationes gentis indomitæ ferociâ & locorum asperitate deterritæ, diutiùs ibi commorari noluerint. Mansit itaque hæc Vasconum lingua in hunc usque diem integra: tametsi ob multa cum vicinis Gallis commercia, peregrina etiam quædam illius gentis vocabula in eam irrepserint. Credibile tamen, eos, si linguam suam excolere velint, nullius externæ linguæ adminiculo ad omnia animi sensa propriè apteque explicanda indigere. Propriam vero ac nativam Vasconum linguam quum, annos ante paucos crediderint, vel alioqui malignè sparserint, scribi non posse (quasi verò lingua, quæ pronunciari potest, scribi nequeat:) eò libentiùs specimen hoc linguæ Vasconicæ. Philoglottis exhibui, prout C.V Bonav. Vulcanius illud non pridem repræsentavit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [280] - 134v
PUBLIC DOMAIN

I. Oratio Dominica, ex editione noui Testamenti, procuratâ sereniss. Principis johannæ D' Albret, interprete johanne de Licarrague de Briscous.

Gure aita ceruê tan aicena: Sanctifica bedi hire icena: Ethor bedi hire rehuma: Eguin bedi hire vorondatea ceruain becala lurrean. ere: Gure eguneco oguia igue egun: Eta quitta jetzague gure corac, nolà gucre gure, corduney quitta tzen baitrauegu: Eta ez gaitzala sar eracitentationetan, baina deliura gaitzac gaich totic.

II. Index vocabulorum aliquot Vasconicorum.

Aita,	Pater,
Ahardi,	Sus.
Aboa,	Os.
Aker,	Hircus.
Alaba,	Filia.
Alcandorea,	Interula.
Amar,	Mater.
Anaya,	Frater.
Andrea,	Domina.
Araguia,	Caro.
Arguia,	Lux.
Ardoa,	Vinum.
Ardia,	Ovis.
Arima,	Anima.
Arraya,	Piscis.

Arrebua,	Soror.
Aretze,	Vitulus.
Aſtoa,	Aſinus.
¶ Bacuſt,	Video.
Baina.	Sed.
Baldin,	Si.
Bat,	Niſi, Præterquam.
Begui,	Oculus.
Belsa,	Nigrum.
Beraz,	Merces.
Berria,	Novum.
Bertan.	Statim.
Beſſoa,	Brachium.
Bihar,	Cras.
Bihotza,	Cor.
Bildotza,	Agnus.
Buruä,	Caput.
¶ Cahagui,	Vinum.
Caldi,	Equus.
Cahar,	Senex.
Cergatti,	Quare.
Ceruä,	Cœlum.
Chori,	Avis.
Cubac,	Vtres.
Curia,	Album.
¶ Deabruac,	Diabolus.
Dohatſu,	Beati.
¶ Ecen,	Etenim.
Echea,	Domus.

Eda-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [282] - 135v
PUBLIC DOMAIN

Edatendot,	Bibo.
Ederra,	Formosus.
Egun,	Hodie.
Eguzquia,	Sol.
Emazthea,	Mulier.
Etchiaz,	Digitus.
Escua,	Manus.
Etche,	Domus.
Eure,	Tuus.
Ezta,	Non.
¶ *Gaitzerraitecac,*	Obtrectationes.
Gatza,	Sal.
Goicea,	Manè.
Gorria,	Rubrum.
Gorputza,	Corpus.
Gucia,	Omnis.
¶ *Haice,*	Ventus.
Halaiotz,	Propterea.
Handiric,	Magnum.
Haortchoa,	Puer.
Herioa,	Mors.
Hi,	Tu.
Hilebeth,	Mensis.
Hordia,	Vinipotor.
Hortza,	Dens.
¶ *Iaincona,*	Deus.
Ian,	Comedere.
Iauna,	Dominus.
Ibaya,	Flumen.

Icarra,	Stella.
Icena,	Nomen.
Idia,	Bos.
Itsaßoae,	Mare.
¶ *Landa,*	Ager.
Lonaça,	Dormio.
Lurra,	Terra.
¶ *Mahatsac,*	Vvæ.
Mibia,	Lingua.
¶ *Nauc,*	Sum.
Ni,	Ego.
Nola,	Quomodo.
Non,	Quia.
¶ *Odeya,*	Nubes.
Odola,	Sanguis.
Oguia,	Panis.
Obea,	Lectus.
Oinac,	Pes.
Ora,	Canis.
Orduan,	Tunc.
¶ *Sabelco,*	Venter.
Senarra,	Maritus.
¶ *Vicitzea,*	Vita.
Vncia,	Navicula.
Vra,	Aqua.
Vria,	Villa.
Vrthe,	Annus.

j. LIPSIVS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [284] - 136v
PUBLIC DOMAIN

ERRAT, qui in re instabili maximè, id est lingua, quærit firmitatem. Quam tamen aliquam à litteris dari fateor, *una fideli custodia rerum*: sed ubi eæ majoribus nostris fuerunt? Græca & Latina quòd perseverant, sive Hebræa: est à litteris & libris. Tolle, vestigium non exstet: ac simile judicium de Germanica, de Gallica veteri linguâ, cur non fiat? Fateor quidem, latè patuisse nostram illam: atque hanc caussam fuisse, cur diutiùs perseverarit, quoniam finitimæ ipsæ gentes, quæ miscebantur aut immigrabant, in ea conveniebant. Rodericus Toletanus scripsit [Teutonia, Dacia, Norvegia, Suetia, Flandria, & Anglia, unicam habent linguam, licet idiomatibus dignoscantur.] Hoc ille ante annos nondum quingentos: paullò supià potuisset & Galliam addidisse. Non enim nos Belgæ tantùm, sed ulteriores atque interiores Celtæ, & quidquid Franci occuparunt, linguâ etiam eorum, id est Germanica, usi. Exstat Canon Concilii Turonensis, sub Carolo Magno: [Ut Episcopus Homilias apertè transferre studeat in Rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quò facilius possint cuncti intelligere.] Itaq; apparet Theo-

tiſcam tunc honeſtiorum & nobilium fuiſſe, ruſticos & viliores Romana illa corrupta, id eſt, hodierna Gallica, uſos. Quæ tamen mox invalvit, illa pulſa. Atque ut Franci ſuam eô, ſic Longobardi in Italiam intulerunt. Paullus Diaconus, [De geſtis eorum ſcribit: Rectorem provinciæ, Schuldaben ab iis lingua propria dici: qui eſt *Schulteiz* Germanorum. Item *Argam, inutilem & inertem*: ſive pravum & perverſum, ut hodie. quod noſtrum eſt, etſi aſsidet Græcorum ἀργῷ. Item, [Lamam piſcinam: unde quidam Lamiſsio dictus, quia infans de piſcina extractus.] Nos *Lanam* dicimus hodie: etſi Feſtus quoque *Lamam* pro *Lacuna* agnoſcit: & in Gloſsis ſunt *Lamæ* πηλώδεις τόποι. Idem Diaconus, [Campos patentes ſermone Barbarico Felden appellari:] quod nos agnoſcimus. Et Alboinum, occiſo Cunimundo, [caput abſtuliſſe, & ex eo poculũ feciſſe, qd ſcala dicitur.] Item, *Stratorem* dici *Marpan*: quod eſt, *Mar-paige*. nam *Mar*, equus. item, *Scilpor*, *Armigerum*: & talia, quę linguam noſtram ſatis adfirmant. Simile in Britannia, quam *Angili* è Saxonia immigrarunt, & veteri pulſa, ſuam, id eſt noſtram linguam intulerunt. Planè noſtram, ut olim quidem fuit nam poſteà Normannorum è Gallia ſuperventu mutavit. Beda notat: [vocari locum Anglo-

Anglorũ lingua Hefenfelt, quod dici potest Latinè Cœlestis campus.] Nam *Hefen*, sive *Heuen* [unde nostrum *Verheffen*] *Sublime* notat sive cælum. Item [Midilengi, inquit, Mediterranei Angli: Denises Burna, Dionysii rivus: Heruten, Insula cervi,] quasi *Hertau*. nam *Au* regio vel insula, Sic *Elge*(malim *Elgeu*) *á copia anguillarum dicta*, quasi *El geu*: g insita euphoniæ caussa, ut in *Rÿngow*. Idem Beda,. *Aid barne*, *Ad nemus*, interpretatur: & incertus de rebus Britanicis scriptor, [Per ministrum nomine Thunre, quod Tonitru significat. Idem, Edgaro Regi (anno DCCC. LXXIII.) in silva vocem insonuisse, incertũ unde missam, *Vueliſti*, id est, Benè est tibi.] Divide, *Vuel iſt eu*. Matthæus Paris, in narranda morte *Waltheri Episcopi Dunelmensis*: unus ex Anglis patria lingua dixit, *Schortreed, good red, slea ye the Bishope* : quod est nobis, *Kort raet ſtaet ghy den byſſchop*. Sunt plura: quid recensitu opus, cùm constet sic fuisse, & integra etiam scripta ab eo ævo existent? Latè igitur nostra patuit: sed ut ad Becanum veniam, ne credamus tamen in orbem terræ sparsam esse. Atqui voces multæ sunt Hebræis, Græcis, Latinis, quæ ad sonant vel consonant. Quid tum? non magis hoc argumentum sit, à nobis illos, quàm nos ab iis sumpsisse. Tu sic pertendes, ego aliter: quis decîdet?

Nihil agit exemplum, quod litem lite resolvit.

Fatendum sanè est, & ego observo, ut ratio communis hominum, sic & verba alibi esse: sive traductione & gentium mixtione: sive casu potiùs, an genio administrante. Sed in quibusdam major convenientia aut crebrior, ut in Persicâ, quod miremur. Nam ii & voces plures nostras habent, & flexus conjugationum haud nimis diversos. Illorũ est:

Auar, Over, Super.
Aual, Aenual, Initium.
Acherratz, Achterraedt, Cautio.
Bandt, Bandt, Vinculum.
Beradar, Broeder, Frater.
Batsa, à latratu, Catulus.
Begriist, Flevit.
Beuast, Clausit: &
Beuastand, Clauserũt
Cah, Caf, Palea.
Cal, Cael, Calvus.
Casti, Casse, Cista.
Cebar, Gebaer, Rumor.
Coda, Godt, Deus
Dandan, Tand, Dens.
Dare, Duere, janua.
Dochtar, Dochter, Filia.
Drog, Bedroch, Mendacium.
Fadar, Vaeder, Pater.
Grift, Begrijpt, Tenuit.
Garm, Gram, Ira.
Garph, Graph, Profundum. transpositione litteræ, ut sæpè.
jok, jok, jugum.
Mader, Moeder, Mater.
Madach, Maechde, Femella.
Mah, Maen, Luna.

Na,

Na, Nee, Non.
Nam, Naem, Nomen
Nambar, Naembaer, Nominatus.
Nau, Neu, Novus.
Neber, Neue, Nepos.
Nazdich, Naſtich, Propinquus.
Nu, Nun, German. Novem.
Phriſtar, Vrijſter, Ancilla.
Star, Sterre, Stella.

Quid dicis? nónne germanitùs hæc Germana? niſi quis litem moveat, in *Madar, Cal, Caſti, Iack*: quæ & Latini poſsint vindicare. At iidem magis certo ex eadem Perſica:

Chus, Sus.
Du, Duo.
Deleri, Deletio.
Lab, Labium.
Maſt, Muſtum.
Mucz, Mus.
Nectar, Optima pars.
Parah, Pars.
Sag, Canis, quaſi *Sagax*.
Tu, Tu, & Tuus.
Biva poſsit addi, Vidua.

Sed & Italicas ibi voces veſtigo. ut *Meſquine*, quod iis *Pauperem* notat: nónne eſt Italorum *Meſquinus*? Item *Maſchargi*, Perſicum, quod *ludum & jocum*: nónne *Maſcari* adſider, ludionibus & perſonatis? Mixturam vides: ſed & in alia gente. Apud Ægyptios στόλας πυὰς πιλητὰς (verba Agatharcidæ) περσαγορεύουσι πάσας: *veſtes quaſdam eas Ctites vocant Caſas*. Acue in ultima, habes noſtrum *Caſack*, difficili aliàs origine.

Balari Corſorum lingua, *Exſules* dicuntur Pauſaniæ: noſtra *Balling*, & *Ballartys*. Apud ipſos novi orbis Indos ſimilia. Illi *Pagodi*, Idola dicunt: & Dei nomen agnoſcis, *Guatras*, *Flabella*, quibus in argentariis excitant ignem, ſunt noſtri *Wayers*. *Topos*, *Tegmen capitis*: à *Top*, quod verticem nobis ſonat. Iam *Lama*, *Ovis*: palàm eſt *Lam*. Sicut & Latinis adſidet *Auro*, Dies: etſi à ſignificatione leviter abit. & *Chonos*, Canis, vocalibus immutatis. Si longiùs eam, vbi non aliqua pariatio? utiq; in Hebræis & Græcis multiplex: quod viri doctⁱ jam nuper oſtenderunt. Idem in Latini, neque negamus ſexcenta eſſe, quæ prorſus germaniſſent: ſed ancipiti, ut dixi, argumento ab iis eſſe. Imò contrà ego certiùs dixerim quædam à Latinis ſumpta: cùm ii imperium in noſtras has oras promoverent, & ſimul ad limites Germaniæ utriuſq;. Quis abnuet, *Vinum*, *Oleum*, *Ficus*, & talia ab iis ducta, cùm nec rem antè haberemus? Sed & aliæ voces manſerunt, leviter immutatæ, truncatæ aut & totæ, ut

NB
Germanica
vetera à La-
tinis.

Abies, *Abeel*.
Ager, *Acker*.
Altare, *Autar*.
Anguſtiæ, *Angſt*.
Armus, *Arm*.
Avena, *Euen*.
Auris, *Oir*.
Bacia (poculi genus) *Back*.
Becario (idē) *Beker*.
Beſtia, *Beeſt*.
Boccola (item poculum


lum) *Boccael*, ut & Itali.
Boiæ, *Boien.*
Bos, *Os.*
Calix, *Kelck.*
Capſa, *Caſſe.*
Caules, *Koolen.*
Cellarium, *Keller.*
Ceres, *Koren*: mutatione *E.* in *O* crebrâ, & *C* priſco pronunciatu.
Cocus, *Cock.*
Colei (aurium tuarũ venia) *Col*, & *Cul.*
Corona, *Croon.*
Crabatus, *Crebbe.*
Cruſtum, tranſpoſitione, *Curſt.*
Culcita, *Culct.*
Cutis (iterum veniâ) *Cur*: id eſt, pellicula illa turpis, nec ſeriò nominanda.
Dirus, *Dier*, ipſa Fera
Ebur, *Euoir.*
Edo, *Ete.*
Dama, *Dain.*
Facula, *Fackel.*
Ferus, *Fier.*
Flamma, *Vlam.*
Floccus, *Vlock.*
Fomes, *Vonck.*
Fullo, *Voller.*
Granum, *Graen.*
Gramen, *Gras.*
Gruſum (purgamentũ in gloſſis) *Gruys*
Herus, *Heer.* nã iſtud novellum eſt, & olim *Druchtin.*
Hora, *Vre*, ſine adſpiratione.
Longus, *Lang.*
Linum, *Lijn.*
Liſta (γράμμη Gloſſis) *Liſte.*
Magiſter, *Meiſter*: etſi Græco etiam adſonat, μάγωρ.
Mamma, *Memme.*
Mantellum, *Mantel.*
Mare, *Mer.*
Mola, *Meule.*
Moneta, *Munte.*
Mus, *Muys.*
Muſtum, *Moſt.*
Nebula, *Nevel.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [291] - 140r
PUBLIC DOMAIN


Pellis, *Vell.*
Piſcis, *Viſch.*
Pix, *Peck.*
Plancæ (lati aſſeres) *Planck en.*
Puteus, *Put.*
Raudus (rude & aſperum) *Raw.*
Remus, *Riem.*
Rota, *Rat.*
Sal, *Saltz* Germ. nobis *Saus.* (*ve.*
Scribo (*I* longo) *Scrij*
Sculpo, *Scolpe.*
Stylla, *Scol.*
Semen, Germ. *Saemen*, nobis *Saet.*
Sicula (*I* longo) *Sijckel.*
Sparus, *Speer.*
Stramen, *Straw*, & *Stroo.*
Speculum *Spiegel.*
Spuma, *Scuym.*
Squama, *Squme.*, vel *Squabbe.*
Strundus (in gloſſis) *Stronde.*
Succus, *Soch.*
Tabella, *Tafel.*
Tego, *Decken*: & Tectum, *Dack.*
Tener, *Teer.*
Vacillo, *Wachele.*
Vallus *VVall.*
Vannus, *VVandt.*
Vellus, *VVellen.*
Velum, *VViel.*
Ventus, *VVindt.*
Verres, *Beer.*
Verum, *VVaer.*
Vermis, *VVorm.*
Ver, *VVeer* paullò communius.
Vidua, *VVidve.*
Vietum, *VVeeck.*
Vimen, *VVijmen.*
Vinco, *VVinne.* In his pleriſq; V Conſonante, tranſeunte in noſtrũ Digẽma.
Virago, *Birague*; ſive *Biregue*: de fœmina maſculi animi corporiſq;.
Volo, Germ. *VVolle*, non *VVille.*
Vulgus, *Volck.*

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [292] - 140v
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 146, [293] - -
PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover
036 828 807
35

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 146, [294] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 146, [295] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 146, [296] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 146, [297] - -